præcepta reperiatur, vel inde probetur per ſuppoſitionem aut relationem; quia translatio Sacerdotio, neceſſe fuit, ut legis translatio fieret, ex D. Paulo ad Hebræos cap. 7. relato in cap. translato 3. de conſtitut. Ergo quod ſecundum vetus tempus, legemque veterem fuit juris divini, ceſſavit per implementum legis, ea ceſſante, ut poſt D. Thomam notant Soco latiſſime de l. 2. de juſtit. & jure quæſt. 5. uſque ad 7. Tiraquellus in præfat. de retract. Cutelius diſt. lib. 2. quæſt. 1. ex num. 1. Borboſa in princ. 4. diſt.

29 Jus Canonicum dicitur divinum. Jus leges iſtas Eccleſiaſticas complectens aliquando appellatur Divinum, frequentius Canonicum, divinum dicitur in cap. de quibus 3. 32. diſt. cap. ſuſcipitis 6. diſtin. 10. cap. nimis 30. de jurejur. cap. 1. de juram. calum. cap. qualiter, 24. de accuſat. cap. cum de diverſis 2. de privil. lib. 6. & aliis congeſtis a Tiberio Deciano lib. 1. tract. criminal. cap. 18. num. 1. & ita docuerunt Covar. in prædictis cap. 31. num. 2. verſ. tertia vero, Petrus Gudelinus de jure noviſſimo, lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 1. Thomas Campegius in tract. de reſident. numer. 7. qui invenitur tom. 15. tract. Doctorum, fol. 538. Marius Cutelius de priſca immunit. Eccleſ. lib. 2. quæſt. 1. num. 7. Canus lib. 5. de locis. cap. 5. verſ. 3. P. Salmeron in Act. tract. 61. & in epiſt. ad Corinth. cap. 7. Suarez lib. 1. de legibus, cap. 30. nu. 20. Gregorius Martinez in 1. 2. quæſt. 98. artic. 2. verſ. inter Catholicos, P. Salas lib. 2. de legibus, diſp. 22. num. 2. Ratio hujus nominis eſt, tum quia ex ipſis ſacris litteris, tamquam ex veritatis divinæ fontibus ſacri Canones dimanarunt: tum quia auctoritate & poteſtate a Chriſto Domino conceſſa, a Vicario ejus, Eccleſiaque proferuntur, & in ejus nomine ſtatuuntur, cap. 15. Actuum Apoſt. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. D. Paulus ep. 1. ad Corint. cap. 14. Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Illuſtrat Melchior Canus libr. 2. de locis, capit. 16. Accedit quia de rebus ad Deum, ejuſque cultum pertinentibus, ſtatuitur in hoc jure, ut etiam divinum accipitur in §. nullius, Inſtit. de rer. diviſ. leg. ut inter 13. alias finali, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. ubi Gloſſa verbo divinum, quàm ſequuntur Marcus Lyclama lib. 7. membran. ecloga 40. §. 1. Gudelinus ſupra, Cujacius lib. 15. obſervat. cap. 33. Georgius Obiratus de princ. jur. cap. 7. nu. 7. Hoc tamen nomen per analogiam datur, non quia proprie jus hoc ſit divinum, nec ullum lego apud Auctores citatos teſtimonium, quod hanc ſententiam ex terminis confirmet, niſi forte illud Petri Cluniacenſis Abbatis D. Bernardo coætanei, lib. 4. epiſt. 28. quem laudat Salas. Ego vero non adii, verba ſunt: Divina mandata diximus, non ſolum ea, quæ per ſe ipſa Divinitas apparens in carne hominibus tradidit, aut ea, quæ per Apoſtolos teneri conſtituit, ſive illa, quæ ante ſuſceptam carnem per Patriarchas, aut Prophetas mandavit: ſed illa etiam, quæ per Apoſtolos Apoſtolici viri Apoſtolica veſtigia ſecuti, unanimiter in multorum Catholicorum conſenſu ſervari præceperunt.

30 Juris Canonici etymon. Frequentius jus hoc appellatur Canonicum, ut in cap. Nicæna 12. diſt. 31. leg. omnis 6. l. privilegia 12. Cod. de ſacroſ. Eccl. & aliis collectis a P. Franc. Valente in concord. Juris Pontif. cum Theol. rat. in cap. 1. diſt. 3. diciturque a canone. Canon autem apud Græcos idem ſignificat ac apud Latinos regula; ſic dictus, quia ducit homines ad regulate, recteque vivendum. D. Iſidor. in c. canon, d. 3. ubi probarunt Turriſcrem. Acunna, Barboſa & Joannes Dartis. Turrian. pro canonibus Apoſt. lib. 1. cap. 16. & 27. Salas de legibus diſp. 1. n. 15. Azor par. 3. inſtitut. lib. 1. cap. 6. Gibalin. tom. 1. ſcient. can. lib. 1. cap. 2. per totum. Ideo artium præcepta, ad quæ veluti ad certæ normæ artis rationes referuntur, canones appellantur. Sic Plinius lib. 34. c. 8. tabellam Policleti, quam pictores ſibi imitandam proponebant, Canonem Policleti appellavit. Inde etiam tributum, ſive anniverſaria penſatio, quæ a Provincialibus quotannis Populo Romano pendebatur, canon appellabatur, ut conſtat ex titulis tam Codicis Juſtiniani, quam Theodoſiani, de canone frumentario urbis Romanæ: de canone frumentario Conſtantinop. & ex l. 1. Cod. de prædiis tamiacis, lib. 11. leg. 1. Cod. Theodoſ. de indictionibus, leg. 3. eod. C. ſine cenſu vel reliquiis, l. 11. tit. 1. lib. 10. legum Vviſigoth. Aſconio 4. in Verrem: Omne genus penſitationis in hoc capite poſitum, canonis, oblationis & indictionis. Sidonio lib. 6. c. 10. Debitum glebæ canonem non petatis, Cælio Rhodigin. lib. 5. antiq. lect. c. 11. notarunt Briſonius & alii Lexicographi verbo Canon, Pancirola lib. 2. variar. c. 247. Petrus Gregorius lib. 3. ſyntag. c. 5. & l. 1. partit. tit. 2. c. 1. Cæſar Bulengerus de Imperatore lib. 6. c. 11. vel quia regula maxime in tributis ſervari debet, ut docte probat Solorzanus Regiopolit. emblem. 82. vel quia eorum exactio juxta regulam & conſuetudinem facienda eſt, ut explicat eruditus collega noſter D. Franciſcus de Amaya ad titulum Cod. de canone largit. l. 10. n. 1. Etiam pro aliis penſitationibus canon accipitur leg. finali, §. ſin autem, Cod. de jure emphyt. cap. potuit & locato; unde occaſionem ſumit Canonicos arguendi Vvol-Kuinus Abbas homilia de Zizania, docendo eos non a canone vitæ dici canonicos, ſed a canone pecuniæ, & penſionis, quam percipiunt. Rara, ait, avis in terra hodie, Canonicus a canone vitæ; unde ergo? audi unde: eſt namque canon vitæ, ut dictum eſt: & eſt canon pecuniæ, videlicet alicujus penſionis certæ: unde ſolet dici, Solve canonem meum, ideſt penſionem meam, hoc eſt ſtatutam pecuniam meam. Eja ergo, o Canonice! inveniamus canonem tuum, a quo derivaris; ideſt a canone pecuniæ, non a canone vitæ; a canone regionis, non a canone religionis. In eodem ſenſu canonem pro regula appoſuerunt Cicero ad Tyronem l. 17. ep. 19. Heus tu, qui canon eſſe meorum ſoles ſcriptorum. Et in Pancratio, Saltandi menſura, ſive regula, canon dicebatur, Cælius Rhodig. l. 13. antiq. lect. c. 30. ex Julio Polluce notavit Petrus Faber l. 2. Agon. c. 1. Canon etiam accipitur pro charta illa, qua omnium clericorum nomina deſcripta legebantur, ut in canone 2. Concilii Antiocheni: Ex Epiſcopis, Presbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex canone: can. 16. & 17. Synodi Nicænæ, obſervavit Albaſpinus in notis ad d. can. 2. Cum ergo canon apud nos ſumatur pro regula, a Græcis denominatione accepta, recte a fidelibus illæ regulæ, quas ipſis pro legibus Apoſtoli, & ejus ſucceſſiores tradiderunt ad veram juſti, & injuſti ſcientiam, Canones appellantur, & jus ex eis conflatum Canonicum dicitur: qua ſignificatione aptiſſime utitur D. Paulus ad Philip. 3. ad Galatas 6. & 2. ad Corinth. c. 10. ubi enim in Vulgata Latina habetur, ut in eadem permaneamus regula: Græca verba ad litteram vertes, ut eodem dirigamur canone. Sed & D. Petrus, ut eſt apud Clem. ep. 1. ad Jacob. Canones, inquit, Eccleſiæ deligendo, & ſolvendo recte novit. Quod ideo libentius refero, quod hæretici noſtri temporis impudenter aſſeverant, in hac ſignificatione canones noſtros aſſumi recentiorum eſſe commentum, cum ex proxime traditis conſtet, ab ipſo Apoſtolorum tempore receptam eſſe hanc vocem in hac ſignificatione. Et hæc de jure naturali, gentium, civili & canonico præjacienda neceſſarium duxi. Unde conſtat, quod cum homo quadrupliciter conſiderari poſſit, videlicet in genere, ut animal; aut in ſua ſpecie, ideſt, ut homo, vel ut ſubditus Romano Imperio, vel denique, ut ſubjectus Eccleſiæ Romanæ; ſi primo modo conſideretur, utitur jure naturali; ſi ſecundo, utitur jure gentium; ſi tertio, utitur jure civili; ſi quarto modo ſpectetur homo, utitur jure Canonico, reguliſque Eccleſiaſticis. Itaque jus hoc alia omnia jura, eorumque fines, ac qualitates conſiderat, complectitur, ac dirigit, atque perficit; & in ſumma eatenus modificat, ut æternæ ſalutis diſpendium afferri minime patiatur; indeque patet differentia, quæ verſatur inter finem juris civilis & canonici; quia licet utrumque jus intendat inducere homines ad bonum commune, differunt tamen in modo inducendi: nam jus civile intendit hominem inducere in bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati civiliter, ac temporaliter viventi, eaque ratione ad finem ſuum promoveri poteſt per legalem juſtitiam, & amicitiam civilem. Jus vero canonicum intendit dirigere hominem ad bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati, non ſolum civiliter, ſed etiam chriſtiane viventi, & vitam aliam æternam expectanti; quem finem non poſſunt homines aſſequi per ſolam legalem juſtitiam civilem.

31 Primum Concilium Hieroſolymitanum. Sacri Canones initium habuerunt poſt Chriſti ad cælos aſcenſionem, ipſis temporibus Apoſtolorum, dum illi varia Concilia congregarunt ad Eccleſiæ regimen, veramque & catholicam doctrinam adſtruendam, ut divinum cultum ſtatuerent & Evangelicas leges ſtabilirent. Primum referunt Gloſſa ordinaria in cap. 1. Actorum Apoſtolorum, Baronius anno 34. num. 236. Hincmarus Rhemenſis in opuſc. 55. capitulorum, c. 44. Aloix ad vitas SS. Eccleſiæ Orient. in principio, fol. 21. celebratum eſſe, cum Apoſtoli convenerunt in domo Mariæ Matris Joannis, ut eligerent duodecimum Apoſtolum loco Judæ proditoris. Cum enim ibi oraſſent, ſtatuerunt duos, Joſephum, qui vocabatur Barnabas, & Mathiam: dederuntque ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam, enumeratuſque eſt cum Apoſtolis undecim. Narrant hujus Concilii hiſtoriam D. Lucas in Actibus a ſe vulgatis, c. 1. verſ. 26. & ibi: Chryſoſtomus Alexandrinus & Oecumenius, Dionyſius de Eccleſiaſt. hierarch. c. 5. l. 3. D. Clemens lib. 8. conſtit. c. 5. relatus in c. 2. 26. q. 2. & ex eis Baronius ubi ſupra, Binius & Coriolanus in notis ad ipſum Concil. Cabaſſutius in notitia Concil. in princip. Quid tamen per ſortes in eo intelligatur, & an electio eccleſiaſtica ſorte fieri poſſit, latius exponemus in c. final. de ſortilegiis.

32 Secundum Concilium Apoſtolor. Secundum Jeroſolymitanum Concilium eodem anno & loco habitum eſt ante martyrium Sancti Stephani: & refertur Actuum Apoſt. c. 6. Creſcente enim numero fidelium, ortum eſt murmur Græcorum, hoc eſt diſcipulorum, qui ex Judæis converſis in Græcia commorabantur, adverſus Hebræos Palæſtinam habitantes, eo quod deſpicerentur viduæ eorum in miniſterio quotidiano, videlicet in ſervitio menſarum communium, ubi propoſitæ erant. Placuit ergo, cum æquum non eſſet Apoſtolos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, ut eligerentur ſeptem Diaconi, quibus manus impoſuerunt, id eſt, eos ordinarunt, ut exponunt PP. Concil. Neocæſareenſis, relati in c. Diaconi, 12. diſt. 93. Aquiſgr. can. 7. Dionyſius de Eccleſ. hierar. c. 3. Cyprian. l. 2. ep. 65. ad Rogatianum, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros. D. Iſidorus lib. 2. de Eccleſ. officiis, c. 8. ex his & aliis Eccleſiæ Patribus notarunt Salmeron & Cornelius a Lapide in dicto c. 6. Actorum, Severinus Binius & Coriolanus in dicto Concilio Jeroſolymit. Baronius num. 39. n. 243. & ann. 35. num. 2. & ann. 224. n. 7. & ann. 57. n. 31. & ann. 112. nu. fin. Aloix ubi ſupra, Rabanus Maurus l. 1. inſtit. c. 7. Per manus enim impoſitionem Diaconi ordinantur. Concil. Carthag. 4. c. 1. de ſacram. non iter. ubi latius probabimus. Franciſcus Hallerius de ſacris elect. 2. p. ſect. 2. cap. 1. Bellarm. de Sacram. Ordinis l. 1. cap. 6. Jodocus Coccius l. 8. theſauri fidei Cathol. art. 3. Joſephus Vicecomes de Miſſæ ritibus, vol. 3. l. 1. c. 16. Faceſſat ergo ſententia exiſtimantium Diaconos ab Apoſtolis tantum menſis communibus, non etiam miniſterio altaris fuiſſe præfectos, ut docuerunt Sebaſt. Cæſar. de Eccleſ. hierar. diſp. 9. §. 1. ex Theolog. Lindanus l. 4. Panopliæ, c. 9. Medina l. 2. de contin. c. 26. Gabriel Vaſquez 3. p. in 3. p. diſp. 236. c. 4. Nam hæc ſententia refellitur primo ex forma præſcripta electioni Diaconorum; quid enim ad cibaria curanda, eſculenta ad menſas deferenda opus fuit miniſtris tam accurata ſolicitudine

electis, tam ſacris ritibus initiatis, ut notavit Cabaſſutius in notis ad hoc Concilium. Secundo ex effectibus ipſius electionis; ſtatim enim poſt hanc ordinationem ex eis Stephanus cœpit prædicare, d. c. 6. Actuum: quod munus Diaconorum eſt, c. perlectis, §. ad Diaconum, 25. diſt. probant Ferrerius de ritu concionandi l. 2. c. 2. Claudius Eſpenceus ad ep. D. Pauli, lib. 1. digreſſionum, c. 3. & nos in c. inter cetera, de offic. ordin.

33 Varia Diaconorum munia. Initiati autem fuerunt in d. Concilio Jeroſolymitano ſecundo Diaconi ab Apoſtolis, ut miniſtrarent menſis, tam communibus, quam ſacris: communibus, non ut ceteris fidelibus laicis accumbentibus ipſi, quæ ad cibum, potumque pertinent, deferrent: ſed ut eleemoſynas inter egenos pro ſingulorum neceſſitatibus dividerent: & hoc munus etiam ſequentibus ſæculis Diaconos obiiſſe in Eccleſia teſtantur D. Hieron. in Ezech. c. 48. D. Ambroſius de offic. Eccl. c. ult. S. Leo ſermone de S. Laurentio; patetque ex actis Sanctorum Cyriaci, & Smaragdi. Quamplura in hac parte congeſſerunt Baronius d. an. 34. Vaſq. diſp. 236. c. 6. n. 69. Eſpenceus d. lib. 1. digreſſionum, cap. 4. Menſis ſacris, ideſt, Altaribus, ut Apoſtolis ſacrificantibus miniſtrarent. Unde in Eccleſia uſus inolevit, ut Sacerdotibus ſacrificantibus omnia diſponerent, ideſt locum, in quo offerendum eſt ſacrificium, necnon Hoſtiam & Calicem præpararent, atque illis miniſtrantibus adeſſent, c. perlectis, §. ad Diaconum, 25. diſt. Concil. Aquiſgran. cap. 7. D. Ambroſius lib. 1. de officiis, c. 41. ubi ita introducit B. Laurentium Diaconum alloquentem Sanctum Sixtum Pontificem: Quo pergis ſine filio Pater? Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono? D. Clemens l. 8. conſt. c. 34. Amalarius Fortunatus de Eccl. offic. l. 1. c. 12. imo conſtituti etiam fuerunt Diaconi, ut Euchariſtiam, ſi Presbyter abfuiſſet, diſpenſarent, c. Diaconis 13. c. præſente 18. diſt. 93. c. Presbyteros, 32. diſt. 50. ubi loco illorum verborum, Calicem offerant, legendum eſt, Calicem deferant, ut notavit Morinus, l. 2. exercit. cap. 12. c. nullus 10. q. 1. Concil. Nicænum can. 14. Valenſe II. can. 2. plura Ant. Auguſt. in epitome Juris Canonici, l. 7. tit. 2. Landmeter lib. 2. de veteri Clerico, c. 75. Bulenger. diatr. 1. in c. 51. Caſauboni, fol. 227. Azor. tom. 5. inſtitut. lib. 10. c. 13. & Calicem ſanguinis Domini, vigente conſuetudine communicandi ſub utraque ſpecie, miniſtrarent. Concil. Aquiſgranenſe can. 7. Carthaginenſe IV. can. 38. D. Clemens ep. 2. ad Jacobum, D. Cyprianus ſerm. 5. de lapſis, Arator lib. 1. Hiſtoria Apoſtolica ibi:

Vera miniſterii ſacris Altaribus apti
In ſeptis ſequere viros, quos undique lectos
Levitas vocare placet: quam ſplendida cœpit
Eccleſia fulgere, munus qua pocula vitæ
Miſceat, & corpus cum ſanguine porrigat Agni.

Latius illuſtrat Cerda in adverſ. 94. Pamelius ad ep. 65. D. Cypriani, Cæſar d. diſp. 9. §. 2. Eſpenceus ubi ſup. Joſeph. Vicecomes de antiquis Miſſæ ritibus, vol. 3. l. 1. c. 16. Etiam initiati fuerunt, ut legerent publice in Eccleſia Evangelium. Concilium Rhemenſe can. 5. Valenſe ſub Leone I. can. 4. Probant Fortunatus l. 2. de Eccl. offic. c. 12. & 18. Guilleimus Durantus in rationali Divini Officii, lib. 5. c. 5. n. 10. & finito Evangelio ejicerent energumenos catechumenos & hæreticos ab Eccleſia. D. Aug. ſerm. 237. ad menſam, Concilium Laodicenſe can. 19. D. Clemens l. 8. conſt. c. 8. & 9. Rabanus Maurus lib. 1. inſt. c. 32. Plura obſervant Ferrara de antiquo concionandi ritu, l. 2. c. 3. & 43. Vicecomes ubi proxime, l. 1. c. 5. & l. 2 de Baptiſmi ritibus, cap. 10. Durantius l. 2. de ritibus, cap. 1. Corolianus in Breviario, an. 423. fol. 135. Briſſonius in leg. die Dominico, fol. 129. C. de ſpectaculis, Loayſa in notis ad can. 1. Concilii Valentini, Landmet. d. l. 2. c. 81. etiam ut ex delegatione Epiſcoporum baptizarent ſolemniter, c. Diaconos, 93. diſt. & habetur in Pontificali Romano tit. de ordinatione Diaconorum. Tertullianus de Baptiſmo: Jus dandi Baptiſmum Summus Sacerdos habet, dehinc etiam Presbyter, Diaconus. Dicemus in c. 1. de cler. non ordin. min. ac ut publice pœnitentes reconciliarent. Cyprian. ep. 13. Concil. Illiberitanum can. 32. ubi notavi, & in c. 2. de furtis, Albaſpinus l. 2. obſerv. c. 33. aliaque munia obirent, quæ enumerant Doctores ſupra laudati, & Quintanadvennas l. 4. Eccleſiaſticon, Zerda in adverſariis, c. 34. Pamelius ad D. Cyprian. ep. 65. Ambianas ad Tertull. de fuga cap. 11. obſerv. 2. aliique de hierarchia Eccleſiaſtica agentes.

34 Tertium Concilium Hieroſolymitanum. Tertium Concilium (ubi plena Synodorum forma tradita fuit) celebrarunt Apoſtoli Hieroſolymis anno Chriſtis 51. Imperii Claudii 9. & refertur c. 15. Actuum Apoſtol. meminerunt ejus Synodi Div. Paulus ad Galat. c. 2. Patres Concilii V. Generalis in definitione contra alia cap. Ad memoriam Vigilii Papæ perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones: licet enim Spir. Sancti gratia circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebantur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmarent, unde de eo communiter ſententiam protulerunt ad gentes ſcribentes; Viſum eſt, &c. Sancti Patres & Theologi Poſitivi in d. c. 15. Actuum, Binius, & Coriolanus in notis ad idem Concilium, Baron. anno 51. Joannes Dartis in c. 1. diſt. 15. Cabaſſutius ubi ſup. Anſam huic Concilio dederunt Judæi fideles prædicantes, Gentiles ad Chriſtum accedentes non poſſe ſalvari niſi per circumciſionem ſecundum legem Moyſi, quorum anteſignanum fuiſſe Cerinthum hæreſiarcham tradit Epiphan. hæreſi 28. Hujus controverſiæ definiendæ cauſſa cum Presbyteris & plebe Chriſtiana Apoſtoli per orbem terrarum diffuſi Hieroſolymis convenerunt, ubi interfuerunt Apoſtoli tamquam legislatores, & judices; plebs autem, ut leges ab eis latas ſuſciperet. Poſt hujus cauſæ diſceptationem ſuffragio Apoſtolorum ſtatutum fuit, neminem Chriſtianorum lege circumciſionis, vel alia ceremoniali Judaica teneri, in hæc verba: Viſum eſt Sp. Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Sed in eorum paraphraſtica expoſitione parumper ſubſiſtamus.

35 Expoſitio relati Concilii Paraphraſtica. Ajunt Apoſtoli, Viſum eſt; & in eodem capite, Placuit nobis: verba ad ſolemnem pronuntiandi formulam tam in comitiis Eccleſiaſticis, quam in judiciis, & Senatuſconſultis valde uſitata. Epheſina Synodus can. 3. & 4. Concil. Salegut. can. 3. Ita viſum eſt. Caput fures 2. de furtis: Viſum eſt pro eis non eſſe orandum. Concilium Carthaginenſe I. can. 1. & 10. Africanum can. 58. & 59. paſſim in Concil. Hiſpaniæ, præcipue Illiberitano, Tolet. I. & Barchinonenſi. Mendoza l. 2. pro confirmando Concilio, c. 2. In judiciis etiam obſervatum fuiſſe, probatur ex Mar. Tullio Verrina 2. Cum iſte pronuntiat Sithenicum litteras publicas eo rupiſſe videri. Aſconius in argum. Cornelianæ: Senatus decrevit ſatisfactum videri. Ex his & aliis probant Fornerius, Gentilis, & Cujac. in l. 2. ff. de verb. ſignif. idem Cujac. l. 3. obſerv. c. 26. Savarus ad Sidon. l. 3. ep. 12. verb. Videri. Marranus de æquit. c. 1. fol. 51. Spiritui Sancto, & nobis. Recte; nam cum Eccleſiæ gubernatio per Spiritum Sanctum peragatur, ut docet S. Baſilius l. de Spiritu Sancto, c. 16. in Conciliiſque præcipue Eccleſiaſticis inveniatur, ubi conjuncti majorem gratiæ plenitudinem obtinent, quam ſinguli; juxta promiſſionem a Chriſto D. factam apud Matthæum c. 18. Ubi ſunt enim duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Qua auctoritate ad adſtruendam Conciliorum auctoritatem, & probandam eorum infallibilitatem utuntur Patres Concilii Chalcedon. ſub Leone Papa poſt medium, act. 3. Synod. 6. contra Monothelitas, act. 17. Unde quæ in Conciliis ſtatuuntur, dicuntur a Deo ſtatuta, c. igitur 5. 25. q. 2. Sp. Sancto cum Angelis præunte, Concil. Arelatenſe in ep. ſynodica ad Sylveſtrum: alia cumulant Boetius Epon. l. 1. de jure ſacro, tom. 3. qq. c. 3. n. 223. Dartis in c. 1. 15. diſt. Coriolanus de orig. Concil. Nihil ultra imponere vobis, proſequuntur Apoſtoli. Conſtat ergo hujus Concilii Apoſtolici veram fuiſſe definitionem. Quare S. Lucas præceptum illud appellat ibi, & cap. ſeq. Apoſtoli ipſi in canone 62. D. Joan. Chryſoſt. homil. 33. in Matthæum, ibi: Vides brevem epiſtolam, nec epicheremata, atque ſyllogiſmos habentem, ſed in pretium, erit enim legislatio ſpiritus. Tria tamen a Gentibus non obſervata, in lege autem Moſaica præſcripta, adhuc a Fidelibus eſſe cuſtodienda, docent Apoſtoli. Quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum; ideſt idolothytis, ſive rebus idolis immolatis, tamquam a contaminationibus: idolothytum enim eſt idolo datum, vel immolatum. Origenes in ep. 1. ad Rom. Svidas v. Aliis geminatos: Quod præceptum ſequentibus ſæculis Eccleſiæ variis Conciliorum canonibus, & Sanctorum Patrum decretis confirmatum fuit; ſemper enim valde execranda fuerunt idolothyta. D. Chryſoſt. in ep. 1. ad Corinthios, c. 8. & 9. Juſtinus in dialogo cum Tryphone, ubi ait: Eos qui comedunt idolothyta, eſſe ſeductores, non vero Chriſtianos. Et in Concil. Ancyr. can. 4. & 5. puniuntur variis pœnis in Concilioque Aurelian. II. can. 20. a communione Fidelium ſuſpenduntur, & pœnitentiæ tempus exſolvere coguntur in Concil. Rehemenſi can. 14. idem docetur in ep. D. Baſilii ad Amphil. cap. 8. & in Concil. Illiber. can. 4. ſtatuitur, ne quod idolis datum eſt, dominus ab œconomis acceptum ferat, ubi notavi, & in c. ſicut, 32. q. 4. D. Aug. docet, ſatius eſſe mori fame quam idolothytis veſci. Idolothytorum nomine intelligitur, quidquid comeſtibile, aut potabile idolo ſacrificatum, aut oblatum fuit in honorem idoli, quod poſtea manducare non licet, ne ita participantes videamur ipſius ſacrificii. Plura de idolothytis omnino arcendis cumularunt Th. Hurtado de vero Martyrio, reſ. 29. §. 4 Dorleans ad Tacit. lib. 1. fol. 291. Mancinus de triplici jure, c. 95. Dartis in Decreto, d. c. 1. diſt. 15.

36 Explicatur prædictum Concilium. Secundum præceptum ab Apoſtolis in eodem Concil. impoſitum continet abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato, quod repetitum invenitur in can. 67. Apoſtolorum, apud D. Clementem l. 6. conſtit. c. 12. Concil. Gangreſi relato in c. ſi quis carnem, 30. diſt. Arelatenſi II. can. 2. Synodo VI. c. 67. Vvormacienſi can. 65. Novella Leonis 58. apud Bucard. l. 19. Decreti, tit. de illicitis cibis, can. 61. Codicis Eccleſiæ Africanæ: apud Gregorium III. in Pœnitentiali, c. 29. & aliis canonibus congeſtis ab Ant. Auguſt in epit. l. 21. tit. 29. & ejus præcepti meminerunt Tertull. in Apolog. Cyrillus catecheſi 4. Juſtinus Martyr q. 45. Greg. Nazianz. ſerm. in ſanctum Paſcha. Sed hoc præceptum Moſaicum eſſe nemo ambigit: nam Deut. c. 12. verſ. 16. cavetur: Tantummodo ſanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum quaſi aquam. Et verſ. 23. Attende valde, ut non comedas ſanguinem, quia ſanguis eſt anima, & non manducabitur anima cum carnibus. Et Levit. c. 7. verſ. 17. Omnis anima, quæ edet ſanguinem, peribit. Et c. 17. Omnis anima ex vobis non edet ſanguinem. Et Geneſis cap. 9. Verumtamen carnem in ſanguine animæ non comedetis. Et 1. Reg. c. 14. verſ. 33. Quomodo ergo in lege gratiæ obſervari jubetur ab Apoſtolis, & Eccleſiæ Patribus hoc præceptum cæremoniale, præcipue cum ciborum delectus Chriſtianis vetitus ſit, ut probant Baronius an. 179. nu. 32. & an. 196. n. fin. & an. 263. n. 25. Turrian. l. 3. pro Canonibus, c. 16. & l. 8. c. 6. & 7. & de Sancto Quadrato refert Beda in Martyrol. 7. Kal. Jun. hæc: Apud Athenas B. Quadrati Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum. Hic firmavit, ut nulla eſca a Chriſtianis repudiaretur.

Op-

37 Proſequitur explicatio. Opreſſus hac difficultate Irenæus *l. 3. c. 12.* eumdem locum referens, prætermittit hoc præceptum de ſuffocato; ejus loco addidit hoc præceptum: *Quod tibi fieri non vis, alteri non facias.* Tertull. *de pudic. c. 12.* Div. Cyprian. *l. 3. ad Quiritum, in fin.* Pacian. *de pœnit.* eumdem locum abſque mentione ſuffocati expendunt, quaſi ab Apoſtolis tale præceptum non ſit appoſitum. Gaudent. *de Machabæis*, D. Aug. *l. 3. contra Fauſtum, c. 13.* exiſtimant ea verba adjecta eſſe per interpretationem præcepti de ſanguine. D. Ambroſ. in *ep. ad Galatas, c. 2.* aſſerit mandatum illud a Sophiſtis Græcorum fuiſſe additum. Sed cum certum ſit verba illa reperiri *Act. Apoſt. c. 15. verſ. 29. & c. 21. verſ. 25. & in d. can. 62. Apoſt.* apud Græcos ſicut apud Latinos, & ex ſequenti uſu Eccleſiæ ſatis conſtat, præceptum illud tam in Græca, quam in Latina Eccleſia receptum eſſe; hæc interpretatio ſuſtineri nequit. Alio modo huic difficultati ſatisfacere intendunt Coriolan. in *Breviar. an. 50. & in Summ. In d. Concil. Hieroſ.* ubi etiam Binius, & Baronius *an. 51.* Aloix *ad vitam S. Quadrati, c. 5. & S. Irenæi, c. 5.* Balſamon in *can. 67. Synodi Sextæ*, Turrianus *pro Canonibus, l. 1. c. 5.* aſſerunt enim præceptum illud abſtinendi a ſanguine, & ſuffocato, ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe, ut aliquo, licet in ſe leviſſimo, remanente uſu legalium, Judæi ac Gentiles in unum Chriſtum lapidem angularem necterentur, ut ait D. Aug. *contra Fauſtum, d. c. 13.* ut ſic facilius Chriſtianorum, Judæorum, & Gentilium ſimul habitantium animi conglutinati in unum populum coaleſcerent: plerumque enim Eccleſia mitius longe ſe habet cum recenter converſis, quam cum adultis in Fide. Exempla extant in *c. quadam 20. 35. q. 2. & in c. fin. de divort.* Poſtea vero ceſſante cauſa infirmitatis Judæorum, præceptum illud exoleviſſe, ſed non apud omnes nationes eodem tempore; apud Orientales vim ejus remanſiſſe uſque ad explorationem Latinorum.

Sed licet hæc interpretatio vera ſit dicti Concil. Hieroſol. tamen non adaptatur ſequentibus Eccleſiæ decretis, ſextæ Synodi, Concil. Arelat. & aliorum, quorum temporibus ratio a dictis Interpretibus allata ceſſaverat. Quare ut rectam interpretationem afferamus, ſciendum eſt, illis primis Eccleſiæ temporibus Gentiles frequenter incuſare, criminarique Chriſtianos, quod infantes occiderent, eorumque ſanguinem haurirent, eo quod audiſſent in ſacrificio Miſſæ ſub ſpeciebus panis & vini carnem edi, & ſanguinem ſumi: quod materialiter accipiebant de carne, & ſanguine, veritate myſterii neglecta. S. Juſtinus in *apolog. ad Ant. Pium*, ait, *An & vos de nobis credidiſtis, nos vorare homines?* Athenagor. *In legatione pro Chriſtianis: Tria nobis objiciunt crimina, impietatem, &c.* Salvian. *de provid. c. 4. Siquidem initia ipſa noſtræ religionis nonniſi a duobus maxime facinoribus oriri arbitrantur: primum ſcil. homicidio, deinde quod eſt homicidio gravius, inceſtu; ſed quod eſt ſceleratius inceſtu & homicidio, inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium parvulorum, quos non occidi tantum a Chriſtianis, ſed & quod magis eſt abominandum, etiam vorari.* Eorum, & aliorum hæreticorum impoſturas & calumnias in hoc ineffabili Sacrificio referunt Baronius *an. 120. ibi*, Spondanus *n. 15. & an. 179. n. 1.* Theophil. Raynaud. in *oplotheca, ſerie 2. c. 1.* Vicecom. *de Miſſæ ritibus l. 1. c. 18.* Balduinus *de Edictis Chriſtianis.* Unde ut Religionis Chriſtianæ Patres ab omni crudelitatis ſuſpicione Fideles alienos eſſe oſtenderent, cibum ſanguinis & ſuffocati prohibuerunt. Quæ interpretatio depromitur ex Tertull. in *Apolog. c. 9.* ibi: *Erubeſcat error veſter de Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto.* Minutio *in Octavio: Nobis homicidium nec videre fas eſt, neque audire; tantum ab humano ſanguine cavemus, ut neque edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Eamdem interpretationem ſuadet reſponſum Bibliæ martyris, relatum ab Euſebio *l. 5. hiſt. Eccl. c. 1.* Nicephorus Calliſto *l. 4. c. 17.* Illa quippe cum ob Chriſti confeſſionem in tormentis urgeretur, ut aliquid adverſus Chriſtianos vi coacta proderet, quaſi humanis carnibus veſcerentur, dixit. *Quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum ſanguine veſci licet.* Docent, & obſervant Rudulphus Fornerius *l. 2. rerum quotid. c. ult.* Savarus *ad Sidonium, l. 8. ep. 11. fol. 535.* Barthius *l. 3. adverſ. c. 17.* Juſtellus in *notis ad Canones Eccleſiæ univerſalis, fol. 175.* Ceſſante autem cauſa hujus prohibitionis, & præceptum ipſum ceſſavit, non quidem aliqua Eccleſiæ conſtitutione, ſed uſu tantum, ceſſante ratione prohibitionis: idque ſerio admodum & difficulter, ſaltem univerſe; nam apud Græcos quidem generatim necdum ſublatam fuiſſe illam a ſanguine, & ſuffocato abſtinendi legem, anno 1191. Theodoſii Balſamonis verba, qui vivebat, *ad can. 63. ſextæ Synodi*, innuunt, ubi ait: *Nota igitur canonem propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Alia pro ipſius Concilii expoſitione adducunt Rodulph. Forner. *l. 2. rer. quotid. c. 30.* Victoria in *relect. de tempor.* Theoph. Raynaud. *tom. 17. de Religioſo locato, fol. 203.* & nos dabimus in *c. tranſlato, de conſt.*

38 Quartum Concilium, & alii Conventus Apoſtolorum. Ad propoſitum inſtitutum redeamus. Quartum Concilium ſanctorum etiam Apoſtolorum refertur in ipſorum actis *c. 21. verſ. 18.* celebratumque fuit an. 58. circa feſtum Pentecoſtes, ut referunt Binius *in eo*; Baronius *an. 58. nu. 118.* adfuit D. Paulus cum Nazaræis votum exſolventibus. In eo ſtatutum fuit, ne Judæi credentes legalibus uti prohiberentur; dum duraret Templum, figuraque veteris Synagogæ, ut illa paulatim cum honore ſepeliretur, non ſtatim, ut impia & mortifera damnaretur; de quo latius agam in *c. tranſlato de conſt.* etſi hoc Concilium proprie non fuiſſe credat Cornel. *d. c. 18.*

Præter hæc quatuor Concilia alii etiam duo conventus Apoſtolorum recenſentur in eorum actis. Primus habitus anno 44. ubi Symbolum, quod vocatur Apoſtolorum, compoſitum fuit, ut teſtantur D. Cyprianus in *expoſitione ſimboli*. Rufinus *in ejus præfatione*, D. Ambr. *ſerm. de jejunio Eliæ, & ep. 1. ad Syricium*, D. Clemens *ep. 1.* Epiphanius *hæreſi 71.* D. Auguſt. *ſem. 21. de Paſſione, & ep. 13. ad Pulcheriam Auguſtam.* Symbolum appellatum fuit a Σὺμ, & βόλος, quæ voces Græcæ idem ſignificant ac *ſimul, & particula*; quaſi Apoſtoli ſimul unuſquiſque particulam appoſuerint: unde convivia ex ſymbolis dicuntur in *c. non oportet 4. 42. diſt.* juncta lectione Gentiani Herberi, & Harmenopuli, ubi quilibet partem confert. D. Hieron. in *c. 23. Proverb.* in expoſitione illorum verborum, *Et dantes ſymbola*, ita ait: *Symbolum Græcum nomen eſt, & interpretatur collatio, cum unuſquiſque ſolet pro ſua parte cibos conferre ad veſcendum: c. non oportet, 44. diſt.* Rufinus Presbyter Aquilejenſis *in expoſitione Symboli*, ad Laurentium Papam: *In uno loco poſiti, & Sp. Sancto repleti, breve iſtud futuræ ſibi prædicationis judicium in unum conferendo, quod ſentiebat unuſquiſque componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & juſtiſſimis ex cauſſis appellari voluerunt: ſymbolum enim Græce, & judicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt quod plures in unum conferant. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in unum conferendo, quod unuſquiſque ſenſit.* Plura Salmaſius *ad Jus Atticum c. 3.* Dorleans *ad Tacitum l. 12. fol. 42.* Ramirez *in Pentecontarcho c. 11.* Conchier *in face hiſtoriar. c. 9.* Adſtipulator huic ſententiæ ſapiens Rex Alphonſus *in l. 1. t. t. 3. partit. 1.* ibi: *El credo in Deum, que en Latin illaman Symbolum, quiere tanto dezir como vocados, è eſto es, porque cada uno de los Apoſtoles por ſi dixò ſu palabra cierta.* Quam autem partem quiſque appoſuiſſet, dixiſſetque, proſequitur idem Rex *in d. leg. 1.* & referunt D. Auguſt. *ſerm. 115.* Herrera *de origine Miſſæ, l. 2. c. 18.* Vicecomes *de Miſſæ ritib. l. 3. c. 13.* Durant. *de ritib. l. 2. c. 24.* Menardus *ad D. Greg. fol. 115.* Hoc autem Symbolum Eccleſia adeo profeſſa eſt & amplexa, ut in omnibus Conciliis convenerit in initio illud recitare, ut patet ex Concilio Epheſino, Chalcedonenſi, Toletano 12. & aliis compluribus. Alius conventus Apoſtolorum contigit, cum Deipara Virgo Maria ultimum diem clauſit, & in cælos aſſumpta eſt; tunc enim e longinquis orbis partibus divinitus vocati Apoſtoli illuc convenerunt, ut teſtes eſſent illius glorioſæ Aſſumptionis, ut ex Euſebio, Nicephoro, & Antonino referunt Baron. *an. 48.* Binius *tom. 1. Concil. fol. 4.* Et hi, aliique Apoſtolorum conventus non videntur ita Conciliorum mereri nomen, quemadmodum illa quatuor, quæ in ſacris Litteris expreſſa ſunt.

39 Synodus Antiochena Apoſtolor. Etiam pro comperto eſt apud omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, aliud Concilium Apoſtolos celebraſſe Antiochiæ ad ſedandas controverſias illic exortas anno Chriſti 53. cujus Concilii meminerunt Innoc. I. *ep. 18. ad Alexandrum*, ubi de Eccleſia Antiochena agens, inquit: *Ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit.* Concil. Nicæn. IV. *act. 1. In Antiochena Synodo SS. Apoſtolorum dictum eſt.* Et ejus canones inventos a Pamphilo in bibliotheca Origenis referunt Turrian. *l. 1. adverſus Magdeburg. c. 21.* Binius *tom. 2. Concil.* Coriolan. *in ſumm. pag. 147. & in Breviario fol. 16.* Illud tamen ab omnibus juſte animadvertitur, quod in *can. 8.* ipſius Concilii ſtatutum fuit, videlicet Imagines eſſe depingendas, & adorandas; unde ſacrarum Imaginum uſus commendatur, & antiquitas earum probatur contra Iconomachos, videlicet Leonem, Conſtantinum Copronymum, Mahometum, Vvicleffum, & Calvinum, qui non ſolum Imaginum uſum reprehendebant, verum eas repertas abradebant, & comburebant, ut refert Caſtro *adverſus hæreſes, v. Imago*, Bellar. *t. 1. controv. lib. de imaginibus, c. 6.* Prædictum canonem confirmarunt Synodus V. generalis ſub Juſtin. Imperatore *collect. 7.* & Synod. VI. *can. 82.* Synodus Romana ſub Gregorio III. an. 732. habita, Synodus Romana pro Imaginum cultu celebrata ſub Stephano III. ann. 788. ſeptima Synodus *action. 4.* octava Synodus *paſſim.* Varia Conciliorum decreta & Pontificum reſponſa in hujus canonis confirmationem adducunt Jodocus Coccius *l. 7. Theſauri, per tot.* Bellarm. *ſupra*, Sanderus & Majolus *in tract. de imaginum venerat.* Ant. Aug. *in epilome, l. 16. tit. 16.* Creſpetius *in ſumm. v. Imaginum*, Vaſquez *in 3. p. q. 75. ar. 3.* Turrian. *l. 4. de dogmatibus*, Suarez *adverſus Regem Angliæ l. 2. c. 10. & 11.* Torreblanca *l. 1. de jure ſpirituali*, Ambianas *ad Tertullianum de idololatria, c. 3. & 4. obſerv. 1.* Bulenger. *adverſus Caſaubonum diatr. 1.* Loyaſa *in can. 6. Concilii Bracharenſis tertii*, Baron. *an. 57. & an. 110. n. 10. & an. 124. n. ult.* Nec huic Apoſtolico canoni adverſatur textus *in can. 36. Concil. Illiber.* cujus interpretationem in ejus notis adduxi, & videndi ſunt ultra Loyſam proxime laudati, Binius, Mendoz. Coriolanus, Zerda *in adverſariis, c. 143.* Hurtado *de Martyrio per peſtem, reſ. 34. ſect. 5.*

40 De traditionibus Eccleſiaſticis. Iſtæ autem leges, & aliæ Apoſtolorum ſanctiones non ſtatim ſcriptæ fuerunt, imo tantum in cordibus Fidelium ſervabantur, ut traditiones Apoſtolicæ, ſicut aliæ traditiones Domini noſtri JESU CHRISTI. Chryſtom. *homil. 4. in ep. ad Theſſalonic.* ubi inquit: *Unde perſpicuum eſt, non omnia Apoſtolos tradidiſſe per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque eſſe fide digna; quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam.* Expreſſius Epiphanius *hæreſi 61.* ait: *Oportet traditione uti, quia non omnia a divina Scriptura accipi poſſunt; quandoquidem aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt.* Baſilius *ad Amphil. c. 27.* apud Balſamonem *pag. 1035. cap. cum Martha, de celebr. Miſſarum*, Clemens Alexandrinus *l. 1. ſtromatum*: plura Baronius *anno 52.* Ajala *de*

Eccleſ.

Eccl. traditionibus, aſſert. 2. Primis enim illis temporibus cum Eccleſia hæreticos non noviſſet, traditionibus regebatur; nam ut ait Tertull. *de anima c. 5. Prior fuit anima, quam littera, & ſermo prior, quam liber, & prior ſenſus, quam ſtylus.* Traditionibus obſervabatur jejunium quadrageſimale, S. Leo *ſer. 2. de jejunio*: ſuffragia pro Defunctis D. Chryſoſt. *hom. 60. ad populum*: ritus aquæ benedictæ, Clemens *l. 7. c. 29.* Paſcha quotannis celebrandum Euſebius *l. 5. hiſt. c. 22. & 23.* & alia quæ hic enumerare ſuſcepti operis ratio non ſinit. Poſtea aliqua præcepta ſcribi cœperunt, & ſic Chriſtiana Reſpublica, ut alia quælibet bene fundata, partim jure ſcripto, partim non ſcripto regebatur: quid enim eſt aliud traditio, niſi jus non ſcriptum? Cironius *ad titul. de conſuet.* Unde colligitur, quanti ponderis, & auctoritatis ſint Eccleſiæ traditiones, quam omni ariete moto hæretici impugnant. Videndi ſunt pro earum defenſione Ajala *ſupr.* Baron. *in apparatu, n. 38. & an. 35. n. 13. an. 53. n. 3. & an. 57. n. 153. an. 109. n. 21. an. 118. n. 3. an. 145. n. 10. an. 165. n. 8. & an. 167. n. 13.* Turrian. *l. 2. pro canonibus Apoſtolorum, c. 16.* Suar. *adverſus Regem Angliæ, l. 1. c. 9.* Vivar. *in apologia pro Flavio Dextro, §. 2.* Sauſay *in Panoplia Clericali, par. 1. l. 2. §. 2.* Cerrier. *tom. 2. Digeſti Fidei, titulo de traditionibus Eccleſiæ*: & nos agemus infra *in tit. de conſuet.*

41 De Canonibus Apoſtol. Ex his traditionibus adhuc non ſcriptis ab Apoſtolis tamen conditis & ſtatutis, Div. Clemens eorum coætaneus, S. Petri ſucceſſor & diſcipulus, regulas vulgo canones Apoſtolorum appellatas, Græce ſcripſit, & poſtea temporibus Juſtini Imperatoris, Dionyſius cognomento Exiguus, eaſdem Latine accurate & feliciter tranſtulit: & ſic ex traditionibus Apoſtolicis canones manaſſe, Sancti Patres & Concilia exploratum haberi teſtantur Baron. *an. 102.* Turrianus *integro libro pro canonibus Apoſtolorum*, Coriolanus, Binius, & Balſamon *in notis ad eoſdem canones.* Unde audiendus non eſt Sophronius *in agone Petri & Pauli*, qui aſſerit in dicto Concilio III. Hieroſolymitano conditos fuiſſe; nondum enim illis primis Eccleſiæ cunabilis tot cauſas emerſiſſe credi poteſt, ut tot legibus Eccleſia egeret. Nec rectius exiſtimavit Albaſpinus *l. 1. obſerv. c. 13.* prædictos canones fuiſſe collectos ex variis Conciliis Eccleſiæ Orientalis, & dictos fuiſſe primo Canones Apoſtolicos, etſi hujus collectionis uſum maxime viguiſſe in Orientali Eccleſia poſt Concilium Nicæn. probet Petrus Marcha *l. 3. concord. c. 2.*

42 De auctoritate eorum. Sed circa auctoritatem iſtorum canonum non levis hæſitatio eſt inter Theologos, ac Juriſperitos. Omni auctoritate carere, Magdeburgenſes impie aſſeruerunt, pro quorum ſententia faciunt Gelaſius Pontifex *in cap. Sancta, 15. diſt.* ubi inter apocryphos libros enumerat canones Apoſtolorum. Zephirinus Pontifex relatus a Gratiano *in cap. ſexaginta, 16. diſt.* tantum agnovit ſexaginta canones authenticos: & Leo Pontifex *in cap. Clementis 3. diſt. 16.* omnes apocryphos declarat, exceptis quinquaginta; & ita ut authenticos agnoverunt tantum quinquaginta duos Michael Rouſſelius *loc. 1. hiſtoriæ juriſd. Pontif. c. 46.* Baronius *anno 102.* quinquaginta Anton. Auguſt. *de amendatione Gratiani dialogo 6.* & D. Iſidorus relatus *in c. 1. 16. diſt.* ait: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec Sancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate canonica, ac Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Verum prædictos canones authenticos eſſe, tamquam ex Apoſtolicis traditionibus a D. Clemente collectos, docuerunt & probarunt ultra ſupra relatus Acunna, Dartis & Barboſa *in c. 1. diſt. 16.* Covar. *l. 4. variar. c. 17. nu. 6.* Poſſevinus *in apparatu, tom. 1 v. Apoſtolorum acta*, Bellarm. *tom. 1. controv. l. 1. de verbo Dei, c. 20.* Grethſerus in *defenſ. Bellarmini, tom. 1. l. 1. c. 20.* idem Bellarminus *de Scriptor. Eccleſiaſt.* Canus *de locis lib. 5. cap. 5.* Pro ipſorum enim canonum auctoritate faciunt textus in *cap. placuit 4. cap. quoniam, 16. diſt.* ubi ab Eccleſia recipiuntur canones illi, & approbantur tamquam auctentici. Faciunt etiam decreta quamplura Conciliorum & Pontificum, in quibus generaliter & ſpecialiter approbantur, & recenſentur. Generaliter approbarunt Theleſphorus *epiſt. 1. in princip.* Victor. *epiſt. 1. poſt princ.* Zephirinus *epiſt. 1. circa med.* Fabianus *epiſt. 1. ante finem*, Nicolaus *ad conſulta Bulgar. c. 72.* Specialiter meminerunt canonum primi, & ſecundi Innoc. I. *epiſt. unic. ad Vicicum, c. 1.* Patres Concil. Africani *can. 16.* Canonis 3. Eutychianus Papa *epiſt. 1.* Canonis quarti textus in *cap. 1. de conſecr. diſt. 2.* Canonis quinti Synodus Carthaginenſis II. *can. 2. & 3.* Canonis 6. Concil. Nicæn. I. *can. 56.* & Nicænum II. *can. 10.* Canonis ſeptimi Cyrillus *homilia 10.* Canonis 8. Anacletus Papa *ep. 1.* Canonum 9. & 10. Concil. Antiochen. *can. 2.* Bracharenſe III. *can. 83.* Canonis 11. Concil. Nicæn. I. *can. 5.* caput *ſicut Apoſtoli, 11. q. 3.* Canonis 12. Innocent. I. *d. epiſt. unica, c. 8.* Concilium Nicænum *can. 15.* & ejus mentio fit *in epiſt. Conſtantini*, apud Euſebium *l. 3. de vita Conſtantini, c. 9.* Canonum decimiquinti & decimiſexti Synodus Antiochena *can. 3.* Theodoretus *l. 1. c. 4.* Nicæna Synodus *can. 15.* Decimiſeptimi Innocent. *dict. epiſt. ad Vitricum, can. 6.* caput *debitum, de bigamis*, Theodoſius *in l. 3. C. de ſum. Trinit.* Canonis decimioctavi Leo I. *ep. 87.* Conſtitutio 6. Juſtini Imperatoris. Canonis vigeſimi Clemens *ep. 1. in princ.* relatus in *c. 1. de fidejuſſor.* Canonis vigeſimi primi Concil. Nicæn. *can. 1.* Canonis vigeſimi ſecundi Synodus VIII. Coſtantinopolitana *can. 8.* Canonum vigeſimitertii & vigeſimi quarti Synodus Africana *can. 53.* Canonum vigeſimiquinti & vigeſimi ſexti Synodus Romana ſub Gregor. VII. *can. 2.* Leo Pontifex *ep. 92. ad Ruſticum.* Canonis vigeſimiſeptimi *c. quoniam 32. d.* D. Baſilius *ad Amphil. c. 3.* Canonis vigeſimioctavi Synodus Africana *can. 32.* Canonis vigeſiminoni Synodus Nicæna II. *can. 5.* Canonis trigeſimi Concil. Chalcedonenſe *can. 12.* Canonis trigeſimiprimi Synodus Carthaginenſis II. *can. 8.* Athanaſ. *ep. ad Orthodoxos.* Canonis trigeſimiſecundi Conc. Nicæn. *can. 5.* Canonis 33. Synodus Antiochena *can. 6.* Canonis 34. Conc. Elberinum *can. 24.* Synodus Antiochena *can. 9.* Innoc. I. *d. ep. unic. c. 1.* Canonum 35. & 36. Concil. Nicænum *can. 6. & 23.* Canonis 37. Concil. Antiochenum *can. 18.* Innoc. *d. epiſt. unic.* Canonis 38. Concilium Antiochenum *can. 20.* Innocent. I. *ubi ſupr.* & Anacletus *ep. 1.* Canonis trigeſiminoni Concil. Nicænum II. *can. 12.* Pariſienſe III. *l. 1. cap. 25.* Canonis quadrageſimi Concilium Chalcedonenſe *can. 22.* Canonis quadrageſimiprimi *cap. Præcipimus*; *12. q. 1.* quem canonem, & antecedentem tranſcripſit Synodus Antiochena *in can. 24. & 25.* Canonis quadrageſimiſecundi, & quadrageſimitertii Synodus Conſtantinopolitana VI. *can. 50.* Canonis quadrageſimiquarti Concil. Nicænum *can. 18. c. Epiſcopi, d. 41.* VI. Synodus *can. 10.* Arelatenſis II. *can 14.* Aquiſgranenſis I. *can. 40.* Canonis quadrageſimiquinti Concilium Nicænum *can. 56.* Canonum quadrageſimiſexti, & quadrageſimiſeptimi Concil. Nicænum *can. 19.* Innoc. I. *d. ep. ad Vitricum.* Canonis 48. *cap. placuit, 31. q. 7.* Canonis quadrageſiminoni *cap. multi, de conſecr. diſt. 4.* Canonis quinquageſimi *c. ſi quis Epiſcopus, de conſecr. diſt. 4.* Canonis quinquageſimi primi Con. Gangr. *can. 1. & 2.* Canonis quinquageſimiſecundi Dion. *in ep. ad Demoph.* Canonis quinquageſimitertii, Orig. *l. 3. contra Celſum.* Canonis quinquageſimiquarti *c. nulli, 44. d.* Canonis quinquageſimiquinti & quinquageſimiſexti Cypr. *ep. 9. ad Bogatianum, c. ſi quis, 25. q. 7.* Canonis quinquageſimiſeptimi Juſtinian. *conſt. 7. ad Epiphanium.* Canonis 58. *cap. inferiorum. d. 86.* Canonis quinquageſiminoni Baſilius *ad Amphiloc. can. 27.* Canonis 60. Clemens *l. 1. conſt. c. 6. & 7.* Canonis 61. Origenes *lib. 8.* dum Celſo reſpondit. Canonis 62. Concil. Nicæn. *can. 10.* Canonis 63. tertia Synodus Hieroſolymitana ſupra adducta. Canonis 64. D. Auguſt. *in ep. ad Caſidimum.* Canonem ſexageſimumquintum eſſe appoſititium docet Baronius *an. 102. n. 15.* ſed poſtea pro viribus eum vindicabimus. Canonis 68. meminit Concilium Nicænum I. *can. 19.* Canonis ſexageſiminoni Alexandrinus Martyr *ſerm. 15.* Canonis ſeptuageſimi Concilium Nicænum *can. 5.* Canonis ſeptuageſimiprimi & ſeptuageſimiſecundi Anacletus *ep. 1.* Canonis ſeptuageſimitertii Alexander *ep. 2.* Canonis ſeptuageſimiquarti Victor *ep. 1.* Synodus Conſtantinopolitana ſub Nectario. Canonis ſeptuageſimiquinti Anacletus *ep. 1.* Damaſus *ep. 3.* Canonis ſeptuageſimiſexti Concil. Antiochenum *can. 23.* Canonis ſeptuageſimiſeptimi & ſeptuageſimioctavi Clemens *l. 1. conſt. cap. 5. 6. & 9.* Nicænum II. *can. 2.* Canonis ſeptuageſiminoni *cap. Clerici, cap. communiter, 33. d.* Canonis octuageſimi Nicænum *can. 2.* Origenes *lib. 8. contra Celſum.* Canonis octuageſimiprimi Concilium Sardicenſe *can. 8.* Ergo Canones prædicti Apoſtolorum, etſi non ſint canonici, cum non referantur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 4.* in decreto de libris canonicis; authentici tamen ſunt, ut docent, & defendunt Turrianus, & Barboſa *ubi ſupra*, Joannes Dartis *in c. 1. d. 15.*

43 Reſpondetur argumentis contrariæ ſententiæ. Nec obſtant fundamenta contrariæ ſententiæ. Non auctoritas Gelaſii, cui ut Gloſſa *in c. Clemens, v. Apocrypha, 16. d.* ſatisfaciat, Gelaſium appellare Canones Apoſtolorum apocryphos exiſtimat, non quia de veritate eorum dubitetur, ſed quia auctor eorum ignoratur: eam ſequuntur Covar *l. 4. variar. c. 17.* Albertinus *de agnoſcendis libris, q. 22. n. 51.* Sed licet eam verbi apocryphi acceptionem inficiari non poſſim, tamen ſecundum communem uſum loquendi, illa decreta in Eccleſia dicuntur apocrypha, quæ nullam auctoritatem obtinent: ut ex D. Auguſt. *lib. 5. de civitate Dei, c. 23.* notant ibi Vives, & Coqueus. Unde prædictam refellunt ſolutionem Bellarm. *l. 1. de verbo Dei, c. 20.* Grethſerus *ubi ſup. c. 20.* Quare ea omiſſa, & alia P. Marchæ *l. 3. concord. c. 2.* verius dicendum eſt, Gelaſium in eo textu agere non de his canonibus, ſed de quodam libro canonum Apoſtolorum, qui confictus fuit, & ſuppoſitus a Priſcillianiſtis, qui etiam multa alia ſub Apoſtolorum nomine falſa ediderunt, ut probat Turrianus *d. l. pro Canonibus, c. 15.* Neque obſtant textus *in d. c. ſexaginta*: cui ut ſatisfaciamus, ſciendum eſt, quod cum dicti canones non fuiſſent ab Apoſtolis ſcripti, ſed tantum traditi, diverſimode fuerunt relati, & congeſti; quandoque enim unus duas, aut tres ſententias continebat; unde aliquando ſub numero 50. approbantur in dicta epiſtola Clementis; aliquando ſub numero 60. cum ad tot capita reducerentur: & octogintaquinque recenſent Græci in collectionibus ſuis, juxta definitionem Synodi Trull. *can. 2.* Theodoretus *in ſynopſi Canonum*, eumdem numerum retinet: probat late Turrian. *d. lib. 1. c. 23.* ubi expendit canonem, qui in vulgata editione ponitur ordine 9. a Nicolao primum in ordine citari, & ſic de aliis: quare lectorem libenter moneo, ut ſi in auctoritatibus proximo numero relatis, aliqua non conveniant ſuo canoni, legat antecedentem, aut ſequentem. Omnis enim hæc variatio provenit ex diverſitate editionum dictorum canonum. In Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi extare veterem collectionem iſtorum canonum refert Fabrot *ad tit. de vita & honeſt. Cleric.* ubi ſub nomine Facundi Hermianenſis referuntur hæc verba: *S. Domini Diſcipuli, & Apoſtoli LXXXV. Canones per Clementem ediderunt.* Probat P. Marcha *l. 3. concor. l. 2.* Apparet ergo prædictos Apoſtolorum canones authenticos eſſe,

juxta

juxta textum *in d. cap. placuit*, recteque circumferri in fine Decreti.

44 De legibus Eccleſiaſticis.

Sublatis ab hac luce Apoſtolis, & ad capeſſenda meritorum præmia in cælum evectis, non ideo patrocinio firmo deſtituta eſt Eccleſia; nam pro patribus nati ſunt filii, ut ait Pſalmiſta *Pſ.* 44. *verſ.* 17. & B. Auguſt. explicavit: *Ideſt pro Apoſtolis Epiſcopi conſtituti fuerunt, qui ideo Apoſtolorum ſucceſſores dicuntur*, ut *c. quanto de conſuetudine*, notat Savarus *ad Synodum lib.* 4. *ep.* 11. *v. Antiſtites*; & aliquando Apoſtoli, Paulinus *epiſt. ad Alethum*, *c. Dominus*, 93. *d.* & vice mutua Apoſtoli dicti ſunt Epiſcopi. Pſalm. 108. *Epiſcopatum ejus accipiat alter*, ideſt Apoſtolatum, Caſſiodoro interprete: D. Ambroſius *ſerm.* 50. ibi: *Prodit Pſeudoepiſcopus Salvatorem*, ideſt Judas. Plura Bignonius *in notis ad Marculphum lib.* 1. *c.* 11. Hallier *de inſtitutione Epiſcop. in principio*, ipſe *c. quanto, de conſuet.* Illi ergo eorum veſtigiis inhærendo, doctrinam, quam ab eiſdem acceperunt, populo Chriſtiano tradiderunt, facem præferente ipſo Romano Pontifice, tam in Conciliis generalibus, provincialibus, nationalibus, quam in epiſtolis decretalibus ad diverſas perſonas Eccleſiaſticas pro cauſſarum diverſitate miſſis. Certum enim eſt, Romanum Pontificem poſſe univerſali Eccleſiæ Catholicæ leges eccleſiaſticas indicere, ut ejus caput, atque ſupremus Præſul; licet in contrarium hæreticorum impia conſpiret caterva, dum ex omni hominum memoria ſacros canones delere conantur, quia apud omnes gentes jus conſtituendarum legum penes eos ſemper fuit, penes quos ſuprema Reipublicæ poteſtas eſt. Bodinus *l.* 1. *de republic. cap.* 10. Sixtinus *de regalibus l.* 1. *c.* 2. *num.* 8. Accedit, nam R. P. ab ipſo Chriſto, poteſtatem habet, *c. nimis, de judiciis*, ubi Navarrus, *c. quamvis d.* 21. *c.* 1. *de translatione Epiſcopi*: docent Turreſcremata *l.* 3. *de Eccleſia*, *c.* 53. Salias *de legibus c.* 7. *ſect.* 4. Suarez *eodem tr. lib.* 3. *c.* 7. Bellarm. *lib.* 4 *de Romano Pontifice*, *c.* 16. Diana 1. *part. tr.* 10. *reſol.* 8. *& par.* 11. *tr. ult. per totum*, Pontius de Leon. *ad Vvaramundum c.* 2. P. Marcha *par.* 1. *concord. l.* 1. *c.* 9. *per totum*. Quod jam a multis dilucide explicatum invenio, quare in re tritiſſima non licet lectorem diutius remorari. Similiter verum eſt, Archiepiſcopos, & Epiſcopos poſſe in ſuis Archiepiſcopatibus, & Diœceſibus leges promulgare, *c.* 2. *de majoritate & obed. c.* 2. *de locato*, *c. cum omnes*, *c. cum acceſſiſſent*, *de conſt. c. Catholica* 11. *diſt. cap. nullus* 6. 3. *q.* 4. *c.* 1. *de conſecratione d.* 3. Bertachinus *de Epiſcopo* 2. *p. lib.* 4. Barboſa *eod. tr.* 2. *part. in compendio*, *num.* 49. ipſe *in c.* 2. *de conſtit.* Eam tamen poteſtatem an immediate a Chriſto, ut R. Pontifex, an ab ipſo Pontifice habeant, late pertractant Salas *ubi ſupra*, *diſp.* 8. *ſect.* 4. Suarez ubi proxime *l.* 4. *c.* 5. *&* 6. Layman *in ſumma*, *tit. de legibus*, *c.* 3. *per plures* §§. Illuſtriſſimus Tapia *tom.* 1. *Catenæ*, *l.* 4. *de legibus*, *q.* 8. *art.* 3. *&* 4.

45 De variis Conciliis.

Igitur adhuc primo ſæculo Eccleſiæ, & ſequentibus variæ fuerunt pro temporum opportunitate promulgatæ conſtitutiones, & epiſtolæ decretales: primo enim Clemens Pontifex ordine tertius, plures edidit conſtitutiones, quas referunt Carolus Bovius, & Severinus Binius *tom.* 1. *Conciliorum*: eas ut canonicas agnoverunt Athanaſius *in ſynopſi*, Ignatius Epiſcopus Antiochenus *in ſuis duodecim epiſtolis*, Epiphan. *hæreſi* 45. & 70. plura pro earum defenſione contra Magdeburgenſes, & alios Eccleſiæ hoſtes, qui omnem moverunt arietem, ut primas Pontificum conſtitutiones everterent, adduxerunt Baronius *an.* 102. Turrian. *integro libro pro epiſtolis Clementis*. Succeſſerunt aliæ decretales epiſtolæ Anacleti, Evariſti, Alexandri, & ſucceſſorum, variaque Concilia, ut Nicænum celebratum anno Chriſti 327. ubi Ariana perfidia condemnata fuit, & varii canones ſtatuti fuerunt, de quorum numero agit Cabaſſut. *in notitia Concil. diatriba de numero canonum*: deinde Conſtantinopolitanum anno 381. adverſus Macedonium negantem Spir. ſancti divinitatem: Deinde Concil. Epheſinum anno 431. contra Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem: Chalcedonenſe anno 451. contra Eutycheten, qui tantum in Chriſto unam naturam agnoſcebat: de cujus Concilii auctoritate agunt Bellar. *l.* 2. *de Pontif. cap.* 22. Petrus Marcha *l.* 3. *concord. Sacerd. & Imper. c.* 3. Quinta Synodus generalis, ſeu Conſtantinopolitana 2. habita anno 553. contra eos, qui unam tantum voluntatem in Chriſto eſſe volebant. Sexta Synodus Conſtantinopolit. anno 660. adverſus Monothelitas, cui Synodo vulgo tribuuntur canones Trullani, editi tempore Sergii Papæ, & Juſtiniani Imperatoris, anno 692. ut in *c. Jacobus* 46. *de conſecr. d.* 1. *c. placuit* 4. *c. habeo* 6. *cum ſeq.* 16. *d. c. quoniam* 13. *d.* 32. *c. ſi quis eorum*, 32. *d. c. præcipimus* 26. *d.* 93. *c. ſi quis Epiſcopus*, 37. *q.* 1. *c. didicimus*, *de conſc. d.* 1. de quorum auctoritate late agunt Canus *l.* 5. *de locis*, *c. fin.* Baron. *an.* 892. Bellar. *l.* 2. *de Rom. Pontif. c.* 18. Tarrian. in *opuſc. pro ipſa Synodo ſexta*, Poſſevin. in *apparatu ſacro*, *v. Trullanum*, & nos in *c. a multis*; *de ætate, & qual.* Deinde ſeptima Syn. Conſtant. ſive Nicæna II. celebrata anno 787. ſub Adriano Papa, contra Iconomachos, qui ſacras Chriſti & Sanctorum imagines reſpuebant. Octava Synodus, ſive Conſtantinop. quarta, habita anno 869. ſub Adriano II. adverſus Photium intruſum, qui depoſitus fuit, & Ignatius reſtitutus. Plurima etiam nationalia, & provincialia Concilia celebrata fuerunt, quæ nec per indicem referre brevitas hujus apparatus ſinit; ea congeſſerunt, & notis illuſtrarunt Severinus Binius, & Coriolanus. Hiſpaniæ noſtræ Concilia collegit doctus vir D. Garcias a Loayſa: Galliæ vero Pater Jacobus Sirmundus, & omnia viginti tomis collecta habemus ex editione Pariſienſi, juſſu Chriſtianiſſimi Regis facta. Et licet de quatuor tantum prioribus Conciliis generalibus dicatur *in c. ſicut*, 16. *d.* & aliis auctoritatibus congeſtis ab Ant. Aug. *in ep. juris Pontif. l.* 5. *tit.* 11. eamdem fidem eſſe illis tribuendam, ac quatuor Evangeliis; non inde deducitur minoris auctoritatis eſſe reliqua generalia Concilia ab Eccleſia approbata.

46 De variis Canonum collectionibus.

Cum jam plures fuiſſent Pontificum ſanctiones, & varia Concilia, tam generalia, quam provincialia reperirentur celebrata, fieri ceperunt variæ collectiones a doctiſſimis viris, tam latine quam græce, ad Eccleſiæ regimen, & Fidelium utilitatem, quarum meminerunt Turriſcrem. *ad princ. Decreti*, *n.* 25. Baronius *tom.* 7: *fol.* 137. Petr. Greg. *l.* 15. *ſyntag. c.* 2. Anton. Auguſt. *l.* 1. *de emend. Gratiani*, *dial.* 10. *& in princ. t.* 2. *epitom. juris Pontif.* Gibalin. *t.* 2. *de ſcient. can. l.* 5. *c.* 10. *q. un.* Franc. Florens *diſſert.* 2. *c.* 2. *in præfat. ad hunc librum*, & alii infra referendi. Primus ergo (ita exiſtimo) collectionem veterum canonum fecit Dionyſius; patria Scytha, cognomento Exiguus, vir in divinis Scripturis valde peritus, in ſæcularibus admodum eruditus, de quo Caſſiodor. *de divinis Scripturis c.* 22. ait: *Fuit noſtris temporibus Dionyſius Monachus, Scytha natione, ſed moribus omnino Romanus in utraque lingua valde doctiſſimus, qui petitus a Stephano Epiſcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus canones Eccleſiaſticos compoſuit, quos hodie uſu celeberrimos Eccleſia Romana complectitur.* Trithem. *de viris illuſtribus l.* 2. *c.* 4. *v. Dionyſius*. Otho Friuſingenſis *l.* 5. *chronicis*, *c.* 4. Bellarm. *de Scriptoribus Eccleſ. an.* 500. ille enim floruit temporibus Theodorici circa annum 527. Collectionem Canonum fecit Græcis in Latinum ſermonem translatis, incipiens a Siricio uſque ad Hormiſdam, & ducentis & quinque articulis conſtat, quibus deinde addita fuerunt Gregorii ſecundi decreta, decem & ſeptem capitibus comprehenſa, ut notavit Petrus Marcha *l.* 3. *concor. c.* 3. Quam collectionem credo fuiſſe illam, quæ Codex Canonum appellatur a Nicolao in *c. ſi Romanorum*, 10. *d.* & ex quo citatur textus in *c.* 2. *de præben.* & approbatur in Concilio Bracharenſi 2 *can.* 18. Toletan. 4. *can.* 3. *c. de bellis*, 20. *d.* a Juſtiniano *in novella* 131. Hunc codicem Canonum Adrianus primus Carolo Magno dono dedit circa annum 787. ut probat P. Sirmundus *tom.* 2. *Conc. Galliæ*, *ad annum* 787. Atque ſtatim Carolus Epiſcopos Galliæ admonuit, ut Canonum executioni invigilarent, atque ipſa decretorum capita in capitulari Aquiſgran. dato ann. 789. retulit. De hac collectione plura adduxerunt Juſtellus in *præfatione ad ipſum Codicem Eccleſiæ univerſalis*, Cironius *ad tit. de conſtit.* Judicem hujus Codicis refert Anton. Auguſt. in *epit. Juris Pont.* 2. *p. in princ. c.* 11. Eodem fere tempore Fulgent. Ferrandus, Diaconus Carthaginenſis, cujus mentio fit in *c. ſacrorum*, 63. *diſt.* & meminit Cujacius in *c.* 1. *de cohabit. clericor.* aliam collectionem elaboravit, diverſo tamen ordine, dum citando, non recitando, ſub unoque capite collegit omnes Canones diverſorum Conciliorum; quod opus Creſconius in ſua collectione Breviarium appellat; de ea Baronius *an.* 527. *nu.* 87. Peronius *contra Reg. Mag. Brit. l.* 1. *c.* 48. Succeſſit Martinus Monachus Benedictinus, Bracharenſis Epiſcopus, cujus vitam & geſta referunt Yepes *tom.* 1. *chron. D. Benedicti*, *an.* 563. *fol.* 251. Ille an. 751. collectionem edidit Synodorum Græcarum, & in Latinum ſermonem tranſtulit, ad utilitatem Eccleſiæ Hiſpaniæ. Alios etiam canones ex Latinis Conciliis compilavit, præcipue ex Toletanis: quæ collectio reperitur in tomis Conciliorum poſt ſecundam Synodum Bracharenſem, & approbata fuit in Concilio Lucenſi celebrato an. 571. De ea collectione agit Anton. Auguſt. *d.* 2. *par. c.* 15. *& in Gratian. dia.* 10. 11. *&* 12. Illud circa eamdem collectionem prænotandum eſt, apud Gratianum plerumque citati ſub nomine Martini Papæ canones omnes, qui tranſcripti ſunt in dicta collectione Martini Bracharenſis, ut textus in *c. Epiſcopum*, 64. *c. non debet*, 65. *diſt. c.* 19. *q.* 3. *c. Epiſcopo* 48. *q.* 1. *c. ſi quis Presbyt*, *c. non licet*, 92. *diſt. c. ſi quis Epiſcopus*, 6. *q.* 4. & alii congeſti ab Anton. Auguſt. in *dictis dialogis*, qui referendi ſunt ad dictam Collectionem Epiſcopi Bracharenſis, ut jam notarunt Germonius *l.* 2. *animad. c.* 1. Juſtelus *ad canones Eccleſiæ univerſæ*, *fol.* 187. Covar. in *c.* 1. *de teſtamentis*, *n.* 1. Quartam collectionem fecit Iſidorus. Sed an Hiſpalenſis, an Mercator, ſub lite eſt. Hiſpalenſem fuiſſe, docent Ivo Carnot. *l.* 2. *decreti*, *tit.* 11. *c.* 22. Gratianus in *c.* 1. *d.* 15. Innoc. in *hiſtoria de Ivone Carnotenſi*, Joan. Gerſon, & Genebrardus *ad an.* 618. videturque ipſum Iſidorum innuere *l.* 6. *etomol. c.* 16. & expreſſe refert Hincmarus Rhemenſis *ep.* 7. *c.* 12. *Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum a ſancto Clemente uſque ad B. Gregorium.* Verum Iſidoro Hiſpalenſi non eſſe tribuendam collectionem conſtat, quia & Concil. Toletani XI. celebrati an. 675. & Concilii generalis, ſexti, habiti anno 681. meminit, quadraginta & amplius annis poſt obitum Iſidori, qui deceſſit an. 636. imo vero & Gregorii ſecundi & tertii, & Zachariæ Summorum Pontificum, qui poſt annos 700. vixerunt, epiſtolas auctor ille collectioni ſuæ inſeruit. Accedit, nam cum Sancti Braulius, & Ildephonſus, necnon Sigebertus Gemblacenſis recenſeant omnia opera Iſidori Hiſpalenſis, nihil de illa collectione adducunt, & cum ejus opera ex vetuſtis exemplaribus emendata per Grialium & Loayſam habeamus, nunquam legimus collectionem iſtam Canonum, neque eam recenſet Vivar. in *notis ad Chron. Marci Maximi*, *an.* 617. dum ejus vitam & opera deſcribit. Quare alii cenſuerunt hujus collectionis auctorem fuiſſe Iſidorum Mercatorem, ſeu Peccatorem (utroque enim nomine illum appellant Poſſevinus in *apparatu ſacro*, *lit. B. fol.* 244. Aucunna in *procemio decreti*, *fol.* 40.) ita docuerunt Baronius *an.* 865. *n.* 5. *& an.* 102. *n.* 11. Boetius Epon. *t.* 3. *l.* 4. *de jure ſacro*, *c.* 2. Mariana *l.* 6. *de rebus Hiſp. c.* 5. Tamayo de Vargas *in notis ad Luitprandum*, *fol.* 83. Ambr. Moral. *l.* 12. *Coron. Hiſpan. cap.* 21. Padilla *hiſt. Hiſp. centud.* 7. *c.* 22. Pro quibus facit auctoritas Juliani *in chron.* ubi refert quod Iſidorus Mercator Epiſcopus Setubenſis, ope monachi cujuſdam huic compilationi operam dedit. Sed facile ſententiæ hæ, & auctoritates pro his adductæ conciliari poſſunt, ſi obſervemus Iſid. Hiſpalenſem Epiſcopum dictam collectionem, quam corpus Canonum diximus, edidiſſe titulis diſtincte additis, & indice compoſito, qui præfixus eſt ipſi collectioni ea arte, ut unicuique titulo certam aliquam materiam complectenti adjunxerit numeros canonum eo pertinentium. Eum indicem veteri cuidam collectioni manuſcriptæ præfixum teſtatur Ant. Aug. licet dubitet, an tribuendus ſit Iſidoro ob quorumdam verſuum, qui illi ſubjiciuntur, ineptiam. Sed expunctis verſiculis illis, quos ſcriptor de ſuo addidit, titulorum ordo & verba eruditionem & ſæculum Iſidori ſapiunt. Inde factum eſt, ut a poſteris integra collectio diligentiæ Iſidori facile tributa ſit, non tamen inter ejus opera recenſeatur. Hæc eadem collectio poſtea acta eſt acceſſione canonum Apoſtolorum, quos Iſidorus Hiſpalenſis in libris originum inter apocryphos recenſet, juxta Gelaſii definitionem. Crevit quoque collectio adjectis Concil. Toletanis, a quinto uſque ad duodecimum, aliiſque Hiſpanicis poſt obitum Iſidori celebratis: necnon epiſtolis Gregorii ſecundi, & tertii, atque Zachariæ uberior iſta collectio facta fuit ab Iſidoro Mercatore, ſed publicata fuit ſub antiquo Iſidori Hiſpalenſis nomine ad conciliandam auctoritatem novis illis epiſtolis, quæ cunc præfixis veterum Pontificum titulis interpolatæ ſunt; quia non ita auctoritate pollerent, ſi ſub nomine novi collectoris prodiiſſent, quare attenta prima hujus collectionis compoſitione, Iſidorus Hiſpalenſis ejus auctor eſt; inſpecta vero ſecunda editione, auctor eſt Iſidorus Mercator; & ideo recte illi attribuitur a Juliano *ubi ſup.* & Luitprando *in chronico*, *anno Chriſti* 719. his verbis: *Iſidorus Setabitanus, qui interfuit Conc. XVI. Toletano, compoſuit ordinem Concilii, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur Iſidori Peccatoris, vel Mercatoris; quo cognomento vocatus eſt ſuper Iſidori nomen.* Et codex MS. hujus collectionis eximiæ vetuſtatis in bibliotheca Regia S. Laurentii apud Seboriacum reperitur: & minus pie Matthæus Raderus *in præfact. analect. ad Martialem Scriptorem*, hunc inſulſiſſimum fabrum Decretalium epiſt. RR. PP. dixit, cum illum eruditæ pietatis inſignem judicet Baronius *in notis ad Martyrol. die* 4. *Aprilis*, dum de eo judicium profert his verbis: *In antiquis*, inquiens, *manuſcriptis C. hunc Iſidorum collectorem Conciliorum, Mercatorem cognomento dictum invenimus, ut in his, quæ in noſtra Bibliotheca habentur; at in nuper impreſſis non Mercator, ſed Peccator inſcriptus reperitur, ſecundum morem nonnullorum antiquorum Patrum, qui humilitatis erga ſe ſic inſcribere, & ſubſcribere conſueverunt. Irrepſit puto error: ut Mercator, pro Peccator ſit ſcriptus. Cum autem ejuſdem collectionis auctor recenſendo in ſua præfatione Synodos univerſales, ſextam ultimo loco ponat, manifeſtum eſt, poſt dictam ſextam Synodum vixiſſe, nec ad ſeptimæ tempora perveniſſe: quam ob cauſſam cum collectores ſacrorum canonum recenſemus, quintum hunc ordine numeramus, primoque loco ponimus Dionyſium Exiguum, inde Ferrandum Diaconum, tertio Martinum Bracharenſem Epiſcopum, quarto Creſconium, ac demum poſt hos omnes Iſidorum.*

47 De aliis Collectionibus.

Aliam collectionem uberiorem, & locupletiorem fecit Creſconius, cujus meminerunt Baronius *an.* 527. Bellarm. *an.* 500. *fol.* 120. Succeſſit alia collectio canonum, quam edit Burchardus Monachus S. Benedicti Epiſcopus Vvormatienſis: compilavit enim, ac compoſuit Decretum ſub Henrico Imperatore, an. 1020. ex variis Conciliorum Canonibus, Pontificum epiſtolis, Sanctorum Patrum ſententiis, & Imperatorum ſanctionibus, & in viginti libros diviſit, & in eo ſuperior fuit aliis compilatoribus, quod ante juris civilis promulgationem, quæ poſt obitum Lotharii ſecundi, ſtudio Mathildis Comitiſſæ procurata eſt, quamplurima ex Digeſtis, Codice, & Novellis tranſcripta, in collectionem ſuam retulerit; itaut exemplo Joannis Scholaſtici, & Photii Patriarcharum Conſtantinop. jus civile cum canonico conjunxerit. De eo Ant. Auguſt. *ubi ſupra*, *c.* 27. Bellar. *de Scriptoribus*, *an.* 900. Poſſevinus *in apparatu ſacro*, *fol.* 254. plerumque hoc decretum citatur, tam in decreto Gratiani, quam in decretalibus, *ut in c.* 1. 73. *diſt. c.* 2. *de ſortilegiis*. Poſt iſtas collectiones aliam fecit Deuſdedit Cardinalis, temporibus Victoris Papæ, quam Polycarpus ſcripſit, non tamen in eadem methodo, ac Burchardus, videlicet colligendo tantum dicta Patrum, vel Conciliorum, ſed pluribus utitur argumentis, alia confutat, & acrius in cauſſa verſatur: ejus meminerunt Baronius *tom.* 11. *anno* 1086. Anton. Auguſt. *ubi ſupra*, *c.* 28. *& in collectione ad Decretales in præfatione*. Fere eodem tempore Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui floruit temporibus Gregorii VII. per annum 1088. aliam collectionem edidit Bellarm. *de Scriptor. Eccl. an.* 1000. Catalogum ejus refert Boetius Epon. *ſupra n.* 217. Octavus decretorum compilator fuit Ivo Epiſcopus Carnotenſis: floruit temporibus Urbani II. uſque ad annum 1114. cujus compilationem in compendio retulit Hugo Catalaunienſis, & Pannoniam ſive Ponormiam appellavit: illam ſub nomine Decreti in 17. partes diviſam obtinemus opera, & beneficio Joannis Molinei, & notis Juretis illuſtratam, Pariſiis editam anno 1647. Ivonis meminerunt plures congeſti in principio ipſius decreti, Baron. *tom.* 12. *an.* 1100. Bellarm. *de Scriptoribus Eccleſiaſt. eodem anno*, Ant. Auguſt. *ſup. c.* 30. Poſſevin. *fol.* 387. Petr. Marcha *lib.* 3. *concor. c.* 6.

48 De Decreto Gratiani.

Omnibus iſtis collectionibus, & omiſſis aliis Phorii, Harmenopoli, Siagrii, & aliorum, accuratior compilatio Gratiani ſecuta fuit; Gratianus enim patria Hetruſcus, S. Proculi apud Bononienſes Ordinis D. Benedicti Monachus, vir quidem vere religioſus, Decreti volumen ſub nomine *Comedia diſcordantium Canonum*, ex Scripturis ſacris, Conciliorum canonibus, Pontificum reſponſis, legum ſanctionibus, & aliis Interpretum fragmentis collegit; & decretorum corpus nova quidem methodo adornavit, ut poſt Archidiaconum, Turrecrematam, Acunnam, & Barboſam docent Carolus Sigonius *l.* 1. *de Epiſcopis Bonon.* Forſterus *in hiſt. juris*, *l.* 3. *c.* 7. Sarmiento *de reditibus* 3. *p cap.* 1. *n.* 2. Andr. Valenſis, & Henr. Zoeſius *in paratit. ad Decretales*, Vincent. *l.* 23. *ſpeculi hiſt. c.* 31. *& l.* 25. *c.* 84. quod volumen librum Decretorum appellavit Cæpola *de libris juris can. n.* 1. Collectanea decretorum Ant. de Morcaro, relatus ab Ant. Aug. *de emendat. Gratiani l.* 1. edidit illud an. 1059. ut refert Genebrard. *l.* 4. *Chronogr.* licet Baptiſta a Sancto Blaſio, & alii congeſti a Thoma Conano, exiſtimaverint compoſitum eſſe an. 1105. Illud elaboravit in æde S. Felicis, ut conſtat ex ſaxo pervetuſto, quod in ſacrario ipſius Eccleſiæ reconditur, ubi ita legitur:

Hanc habe partem lector, reverenter adito;
Namque loci Monachus decretum hic condidit hujus,
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus ſepto, quod reparando caducum,
Et vetus hoc clauſtrum, tolli fuit inde neceſſe.

4 Sed an hoc decreti volumen approbatum ſit, omniaque in eo compilata majorem auctoritatem habeant, quam in ſuis autographis, magnæ hæſitationis eſt? Eſſe a Pontifice approbatum, docuerunt Abbas *in c.* 2. *de reſcriptis*, *nu.* 9. *verſ. ſed dico*, Felin. ibi, *nu.* 44. Cæpola *de libris juris canonici*, Tuſchus *litt. D. concl.* 110. *nu.* 2. Morla *de juriſd.* 1. *par. q.* 10. *n.* 9. Maranta *in praxi*, 3. *p. q. un. n.* 36. Medicis *de legib. p.* 1. *qu.* 3. *n.* 9. Medina *de continentia l.* 2. *c.* 33. noviter Franciſcus Valens *in concordia Juris cum Theologica ratione*, *in proœmio c.* 7. *n.* 25. Martha *de juriſd.* 1. *p. c.* 30. *n.* 37. Pro quorum ſententia faciunt ſequentia fundamenta. Primum, nam fuiſſe confirmatum ab Eugenio III. referunt Tuſchus, & Morla *ubi ſup.* Secundum, quia ſi in eo reperirentur contradictiones, aut perplexitates, ob errores, qui in illud volumen irrepſerant, jam ſublati fuerunt per Gregor. XIII. qui illud tradidit purgandum viris doctis ab omnibus mendis, ut conſtat ex epiſtola ejus in principio decreti appoſita, & refert Anton. Auguſt. *dialog.* 1. Ergo hæſitari non poteſt volumen eſſe ab ipſo Pontifice approbatum, cum omnia noſtra faciamus, quibus noſtram impartimur auctoritatem, *l.* 1. *C. de veteri jure*. Tertio, nam volumen hoc cum ſcientia, & tolerantia Pontificis quotidie allegatur, & in Scholis publice exponitur; imo & ipſi Romani Præſules illud ſæpius citarunt, ut *in cap. continebatur*, *de diſpenſatione impuberum*, *cap. nobis*, *de jurepatronatus*, *cap. relatum* 4. *de teſtamentis*, *Clement.* 1. *de jurejurando*: Ergo nullatenus ambigi debet ejus decreta eſſe approbata. Ita tenuerunt ultra ſupra relatos plures congeſti a Diana *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 26. *& par.* 5. *tract.* 14. *reſcrip.* 68.

50 Contraria ſententia.

Sed contrariam ſententiam, imo auctoritates Conciliorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Imperatorum, & Jureconſultorum reſponſa in eo compilata eamdem vim obtinere ac per ſe obtinent, nec leges civiles per collectionem in hoc volumine eſſe canonizatas, ut loquuntur Doctores, defendunt, Uſelius *in notis ad* Covar. *lib.* 4. *variar. c.* 11. Sanch. *l.* 9. *de matrim. diſp.* 12. *num.* 5. Salas *de legib. tract.* 14. *diſp.* 18. *ſect.* 13. Diana 5. *par. tr.* 14. *reſ.* 68. Suar. *de legib. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 6. Laym. *in ſum. eod. tr. & t.* 1. *l.* 2. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 12. Pater Mendo *de jure Academico lib.* 1. *q.* 28. Rata apud Pennam *deciſione* 480. *nu.* 18. plures quos refert, & ſequitur Barboſa *in proœmio decreti*, *n.* 6. Martinez à Prado *t.* 1. *Theol. Moral. cap.* 3. *de legibus*, *q.* 8. §. 3. Alciatus *lib.* 4. *pareg. cap.* 23. Petrus Gregorius *lib.* 1. *partit. tit.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Granados *in* 1. 2. *controverſ.* 3. *diſp.* 3. *ſect.* 7. *n.* 17. Machado *tom.* 1. *ſummæ*, *parte* 4. *tract.* 2. *documento* 3. Anguianus *de legibus lib.* 2. *contr.* 29. *n.* 4. Grethſerus *t.* 2. *in defenſ. Bellarmini*, *lib.* 2. *de Roman. Pontif. cap. fin. p.* 816. P. Magdalenus *de n. teſtium*, *parte* 2. *cap.* 6. *n.* 17. noviſſimæ Frat. Antonius a Matre Dei *in præludiis ſacræ Script. prælud.* 1. *digreſſ.* 6. *ſect.* 9. Gibalinus *ſupra*, Franc. Florens *in præfat. ad hunc lib. fol.* 7. In hoc Interpretum diſſidio, ut certa ab incertis ſeparemus, affirmo volumen hoc continere aut Conciliorum decreta, aut Romanorum Pontificum conſtitutiones, ex quibus, quæ inveniuntur in ſuis autographis, vim legis eccleſiaſticæ habebunt; ſecus vero ſi non reperiantur. Unde cognoſcitur magnum diſcrimen inter hanc collectionem Decreti, & compilationem Raymundi: nam licet aliquæ decretales epiſtolæ in collectione ſexta Decretalium compilatæ non reperiantur inter epiſtolas Innocentii III. aut Alexandri III. quia tamen corpus hoc Decretalium eſt approbatum à Gregorio IX. in dubium revocari non debet earum auctoritas. Etiam in hoc Gratiani volumine reperiuntur quamplures leges ex Pandectis juris Civilis tranſcriptæ, quæ eamdem auctoritatem habent, ac ſi in libris Pandectarum eſſent. Etiam aliquæ inveniuntur tranſcriptæ auctoritates, cum hac inſcriptione, *Palea*. Circa quarum auctoritatem non conveniunt Interpretes. *Paleam* ſignificare Canones antiquos, docet Cujacius *in c.* 1. *de ſponſa duorum*: putarunt alii congeſti a Darte *in can.* 2. *d.* 5. & Barboſa *ubi ſupra*, *n.* 9. *Paleam*, *Protopaleam*, *ſeu Quotopaleam*, fuiſſe Cardinalem Eccleſiæ Romanæ, qui alia decreta collectioni Gratiani adjecit; quare ſuam eſſe collectionem intendebat Cepola de libris Juris

Juris Canonici. Sed mihi communis opinio placet, quæ affirmat, *Paleam* eſſe proprium nomen cujuſdam diſcipuli Gratiani, qui operi ſui magiſtri aliqua etiam adjecit, quæ eamdem auctoritatem habent, ac aliæ auctoritates compilatæ in eodem volumine. Ita docent Laym. *ubi ſupra*, *n.* 11. Cenedus *ad decretum*, *collectaneo* 16. *n.* 7. *in fine*, Accunà *in proœmio decreti*, *n.* 33. Cæſar Coſta *l.* 1. *ambig. c.* 7. Beſoldus *t.* 2 *in delibata juris diſſert. de libris juris*, *c.* 8. Nec obſtant fundamenta exiſtimantium decreti volumen approbatum eſſe, quibus ſatisfaciunt ſacræ Rotæ Auditores in dicta deciſione 480. in hæc verba: *Nec refert, illos canones recenſeri in decreto a Gratiano compilato, quia cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæque illa canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſecularium capitula in ſuum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille, tamquam authenticus, & legalis approbatus fuerit, inde fit, ut quilibet Canon inibi relatus, ex eo tantum, quod ibi referatur, non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco conſiſtens de ſui natura eſſet habiturus: nec Gregorius XIII. Gratiani librum, tamquam legalem authenticavit, cum ſolum emendari juſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detractionibus mandaverit obſervari.* Ergo cum ab ullo Eccleſiæ Romanæ Præſule non ſit confirmatum, aut approbatum, etſi publice in Scholis exponatur, & illuſtretur, decreta in eo compilata non majorem auctoritatem habebunt, quam in ſuis autographis obtinent, ut latius proſequentes docent Alber. Gentilis *de lib. juris can. c.* 2. *per totum*, Alcianus *lib.* 3. *parerg. c.* 23. Menochius *de adipiſcenda, remedio* 4. *nu.* 842. Maranta *in ſpeculo*, 3. *p. n.* 36. Federicus de Senis *conſ.* 76. Tot tamen ſcatet liber is mendis injuria temporum, ut ſit de re publica, ac re litteraria benemeritiſſimus cenſendus, qui huic libro emendando, ac corrigendo, totque maculis expurgandis operam dederit; Gratianus enim fuit nimis credulus, ut refert Baronius *anno* 664. *n.* 4. & *anno* 774. *n.* 4.

51 **De variis decretalium collectionibus.** Poſt hanc decreti Gratiani collectionem quamplures conſtitutiones, & decretales epiſtolæ emanarunt, præſertim poſt Concilium generale Lateranenſe, celebratum ſub Alexandro III. anno 1179. cumque Gratianus multa omiſiſſet, tum ex Conciliorum veterum Canonibus, tum ex epiſtolis Pontificum, & aſſidua Sedis Apoſtolicæ juriſdictio, & audientia novas quotidie pareret conſtitutiones, aliæ collectiones Decretalium fieri cœperunt. Primus enim S. Bernardus Balbus, Papienſis Eccleſiæ Præpoſitus, poſtea Epiſcopus Faventinus, demum ad Papienſem Eccleſiam translatus, in canonica peritia valde doctus, collectionem fecit epiſtolarum decretalium Alexandri III. Cœleſtini III. & aliorum Pontificum prædeceſſorum, necnon diverſorum canonum Conciliorum, tam generalium, quam provincialium, ut referunt Philippus Steinhauſſent. *in ſumma Juris Can.* Vvolſang. Sigiſmund. à Vorbux *in Triſmegiſto canonic.*, *fol.* 18. Beſoldus *in diſſert. de libris Juris Can. c.* 8. Ant. Auguſtinus *in proœmio collectionum*, Gentilis *ſup. c.* 1 Valens *in corcordia*, *c.* 1. Poſſevinus in apparatu ſacro, verbo *Bernardus*, Gibalinus, & Florens *ubi ſup.* Hanc collectionem, *Breviarium* appellant Hoſtienſis, Henricus, Joannes Andreas, Bellamera *in proœmio Decretalium*, id eſt breviarium deciſionum, quæ extra corpus decreti vagabantur; aliquæ tamen deciſiones a Fratiano compilatæ in ſuo decreto, reperiuntur ſub eiſdem verbis in ipſa collectione Bernardi, ut textus *in c.* 1. *de cenſibus*, qui eſt apud Gratianum textus *in c. ſancitum* 25. 23. *q.* 8. caput 8. *de purgatione canonica*, qui reperitur *in c. nobilis* 15. 2. *q.* 5. forſan per oblivionem, quod frequenter contingit, ut in jure Cæſareo, ubi conſtitutiones eiſdem verbis reperiuntur, ut *in l.* 1. *C. de auctoritate præſtanda*, *in l. neque tutoris* 7. *C. de contrahenda ſtipulatione*, *ex l. ex conventione* 11. *C. de pactis*, *leg.* 1. *C. ſine cenſu, vel reliquiis*, *ex l. ſi dices* 37. *ff. de judiciis*, *leg. qui cœtu* 5. §. 1. *ff. ad leg. Juliam de vi*, notavit Fornerius *l.* 1. *rerum quot. c.* 17. Eam collectionem approbavit Alexander III. ut referunt Joannes Andreas, & Gentilis ubi ſupra. Poſt Bernardum Papienſem Gilbertus Abbas, atque etiam Alantus Epiſcopus Altiſſiodorenſis, alias duas collectiones fecerunt, ſed uſu non receptas: quare Joannes Xalenſis, ſive Galenſis, poſt duodecim annos elapſos a prima collectione, aliam fecit, quam Alexander approbavit, & fuit ſecunda compilatio approbata. Platina *in vita Alexandri III.* Joannes Andreas *in proœmio Speculatoris*, Gentilis, & Boetius Epon. *ubi ſup.* Hunnius *in encyclopedia l.* 1. *c.* 3. Poſt eam temporibus Innocentii III. Bernardus Archidiaconus Compoſtellanus, Romæ degens, ex ejuſdem Innocentii III. prioribus regiſtris compilavit aliud volumen decretalium, quintam collectionem, ſi collectiones omnes attendas; & dicta fuit compilatio Romana, quia ipſe Bernardus Romæ eam edidit. Sed cum in ea collectione nonnulla reperirentur inſerta, quæ in Romana Curia probarentur parum, ipſius Pontificis juſſu Petrus Beneventanus compilationem tertiam edidit, publice approbatam, ut referunt Cujacius *in cap.* 1. *de ſponſalibus*, Valens, Boetius Epon. & Gentilis *ubi ſup.* Succeſſit quarta compilatio approbata ab ipſo Innocentio III. in qua varii Concilii Lateranenſis ſub eo celebrati canones, necnon plures epiſtolæ ipſius compilatæ fuerunt. Eam notis illuſtravit Joannes Theutonicus, & quartam compilationem Innocentius III. appellavit, ut ſupra citati referunt. His collectionibus opera, & ſtudio Ant. Aug. viri clariſſimi fruimur, cum notis ipſius ad primam colleſtionem, & notis Joannis ad quartam. Hoc totum breviter expreſſit Tancredus *in præfatione ad* 3. *compilationem*, quam ex fide manuſcripti ita tranſcripſit Boſquetus in notis ad Innocentium III. *l.* 1. *ep.* 71. a quo, & nos libenter accepimus, cum mire probet hucuſque tradita. *Poſt compilationem decretorum factam a Gratiano multæ a Romana Curia decretales epiſtolæ emanaverunt, quas magiſter Bernardus tunc Prepoſitus, poſtmodum Epiſcopus Papienſis, ad ſtudentium utilitatem ſub competentibus titulis compilavit, quędam antiqua jura interſerendo, & vocatur compilatio prima. Poſt illarum compilationem quædam aliæ Decretales a diverſis Apoſtolicis emanaverunt; quas Magiſter Gilbertus ad inſtar primæ compilationis ſub titulis collocavit. Poſt illum Magiſter Alanus ſuam ſimiliter compilationem effecit. Tandem Magiſter Bernardus, Compoſtellanus Archidiaconus, in Romana Curia moram faciens aliquantam, de regiſtris Domini Papę Innocentii III. unam fecit Decretalium compilationem, quam Bononiæ ſtudentes Romanam compilationem aliquando vocaverunt. Verum quia in ipſa compilatione quædam reperiebantur Decretales, quas Romana Curia refutarat: ſicut hodie quædam ſunt, quas Curia ipſa non recipit: idcirco felicis recordationis Dominus Innocentius Papa III. ſuas Decretales uſque ad annum duodecimum editas, per Magiſtrum Petrum Beneventanum, Notarium ſuum in præſenti opere compilatas, Bononiæ ſtudentibus deſtinavit. Poſt illarum receptionem Magiſter Galenſis decretales omnium Apoſtolicorum, qui præceſſerunt Innocentium, de ruinis compilationis Gilberti, & Alani extrahens, quamdam compilationem ordinavit, quæ hodie mediæ, ſive ſecundæ Decretales dicuntur, ſuper quarum expoſitionibus plures Doctores Bononiæ Gloſſas ſcripſerunt. Et quia de dictis apparatibus opiniones ſtudentium erant diverſæ, ſententiæque confuſæ; idcirco ego Tancredus Bononienſis Canonicus ſancti Petri, qualiſcumque Decretorum Magiſter, ad multam inſtantiam ſociorum meorum meliora, & utiliora de dictis apparatibus colligens, ex ingenio meo quædam interſerendo, ſicut ex ſignis gloſſularum ſingularum demonſtratur, primas, & ſecundas Decretales, prout melius potui, gloſſulavi, ſed ſuper præſenti tertia compilatione non apparatum feci, ſed audiendo, atque legendo, quædam in libro notavi, quæ ſcholares quidem abſque conſcientia mea de libro meo extraxerunt, & pro apparatu tertiarum illum mihi intulaverunt. Nunc autem docendi officio ad multorum inſtantiam reaſſumpto, præſentem tertiam compilationem diligentia, Domino favente, gloſſabo, & conſtitutiones Concilii proxime celebrati, & jura a Domino Innocentio Papa III. poſt duodecimum annum edita, tam in apparatibus a me factis, quam in hoc, quem indicare diſpono diligentiſſime collocabo.*

52 **De aliis collectionibus decretalium.** Poſt has quatuor collectiones fuit & alia quinta epiſtolarum Honorii III. cum enim ipſe decem libros epiſtolarum ſcripſiſſet, juxta ſeriem, & methodum aliarum collectionum ſuorum prædeceſſorum, quintam compilationem fecit, non opera Tancredi Bononienſis, ut voluit Ant. Auguſtinus, quem refellit Cironius *in cap.* 1. *de conſtitutionibus*, *in ipſa quinta collectione*; ſed eam ab Antonio Auguſtino, Cencio, & Cujacio deſideratam hodie habemus ſtudio Innocentii Cironii in utraque juris peritia viri diſertiſſimi; licet enim plures decretales ipſius collectionis tranſcriptæ reperiantur à Raymundo in decretalium volumine; plurimas tamen non cum parvo Profeſſorum compendio edidit Innocentius Cironius. Poſt omnes iſtas compilationes ſequitur noſtra ſexta compilatio juſſu Gregorii IX. facta; ipſe enim tot parum conſtantium voluminum Decretalium pertæſus, multis relictis, & rejectis, aliis noviter additis conſtitutionibus, eam approbavit. Matthæus Pariſ. *in Henrico III. His quoq. temporibus Gregorius IX. videns tædioſam Decretalium prolixitatem; ſub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas ſolemniter per totius mundi latitudinem legi pręcepit, & publicari.* Et adjectis ſuis conſtitutionibus Gtegorius IX. publice edi juſſit ſextam hanc collectionem anno 1230. elaboratam a S. Raymundo de Pennaforte, Capellano, & Pęnitentiario ipſius Ordinis Prędicatorum, viro ſanctitate, & doctrina celebri, de cujus vita, actis, & canonizatione poſt plures plura Eymericus *in directorio Inquiſitorum*, 2. *p. comment.* 25. Tamayo de Salazar *die ſexta Januarii*, *t.* 2 *Martyrologii*, *fol.* 80. *à n.* 6. Collectionem hanc vulgo Decretales Gregorii appellamus, quia noſtra facimus, quibus noſtram impartimur auctoritatem, *c. ſi Apoſtolica*, *de prębendis in* 6. ideo Decretales Gregorii nuncupantur; & hæc ſexta compilatio breviter omnia, quæ intra octoginta pluſve annos ab aliis Pontificibus Romanis decreta ſunt, complectitur, ut notavit Elricus Elfricus Hunnius *in encyclopędia l.* 1. *c.* 3. Collectio hæc Decretalium ſolet etiam appellari corpus Juris Canonici, nec barbarè; nam corpus plerumque accipitur pro opere ſcripto. Cicero *l.* 2. *ad Atticum*, ibi: *Hoc totum corpus curabo, ut habeas.* Hinc corpus Homeri dicitur *in l. lib.* 52. §. 2. *ff. de legatis* 3. notavit Jo: Bertrandus *de Juriſperitis*, *in vita Labeonis*, *fol.* 44. Miſit autem hanc compilationem Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus, ut fecit Honorius III. *in c.* 1. *de conſtitutionibus*; erat enim illis temporibus florentiſſima Academia Bononienſis a Theodoſio creata, cujus laudes referunt Hieronymus Oſorio *lib.* 1. *de Gloria*, Papirius Maſonius, & alii, quos congerit perdoctus P. Andreas Mendo *lib.* 1. *de Jure Acad. q.* 2. *n.* 16 Exorſus eſt Gregorius ſuam compilationem a profeſſione fidei, juxta Concilium Nicęnum, & mores Conciliorum; quare non erat neceſſaria invocatio divini Numinis, ut alii Principes ſæculares ab ea exordiuntur ſuas conſtitutiones, *l.* 2. *C. de officio Præfecti Africæ*: principium Codicis Juſtinianei, *l.* 1. & 2. *de veteri jure*, Novella 85. Juſtiniani: obſervarunt ex ſacris, & profanis litteris Lelius Mancinus *l.* 3. *de triplici jure*, *c.* 225. Fornerius *l.* 6. *rerum quotidianarum*, *c.* 1. Juxta morem ergo Eccleſiaſticarum ſanctionum a profeſſione fidei inchoavit ſuam compilationem Gregorius IX. non ob alias rationes hæreſis veneno plenas, quas ſtulte Vveſembec. *theſi* 1. *in princip.* ſomniavit.

53 **De Collectionibus antiquis.** Sed antequam progrediamur ad noſtræ Hiſtoriæ Pontificis ſeriem, aliqua de illis collectionibus antiquis non antiquatis prænotanda ſunt. Et primò ſciendum eſt, earum uſum Juriſprudentiæ Canonicæ Profeſſoribus valde utilem, imo neceſ-

ſarium

ſarium eſſe, cum ex fontibus ipſarum deciſionum rectius veritatis cognitio hauriatur, aſſequaturque. Certe dum cœpi huic profeſſioni operam dare, ſtatim ad fontes digitum intendi, regeſta Gregorii Magni, Alexandri III. Innocentii III. perquiſivi, & his aſſidue uſus fui, nec adhuc ejus conſilii, & ſtudii pœnitet, imo in ea ſententia adhuc perſiſto, veram perfectamque cognitionem inſalutatis antiquis integris Pontificum, Conciliorumque monumentis, aſſequi non poſſe. Alii exiſtimant pueriles, inanes, ac otioſas eſſe has elucubrationes; ſed non ſine magno eruditorum hominum riſu. Perquirendi igitur ſunt, & conſulendi antiquarum collectionum libri, cum ex eis non raro mens vera, & genuina deciſionis proveniat, ut paſſim in hoc noſtro opere notavimus, & jam docuerunt Antonius Auguſtinus *in anteloquio ad collectiones Decretalium*, Cujacius in *c.* 1. *qui clerici, vel voventes*. Cum enim ut brevitati conſuleret Raymund. in hac collectione truncaret antiquas epiſtolas decretales, & aliquando tantum concluſiones tranſcriberet, ſubjungendo ea verba, *& cetera*, *& infra*, *in præmiſſis*: *c. unico*, *ut eccleſiaſtica beneficia*: *prædicto c. cum in Eccleſia* 9. *de ſimonia*; quæ denotant ſupplendam eſſe deciſionem ex ipſa integra, quæ extat, aut in antiquis compilationibus, aut in regeſtis Pontificum; in ipſo etiam initio ſunt diminutæ epiſtolæ decretales, cum alia pars, ipſius textus omittitur, & tunc aliunde repetenda eſt, ut in illis, quæ incipiunt, *ad hæc*, *præterea*, *nunc autem*, *de illis tertio*, & ſimilibus; apparet enim eſſe partem alterius deciſionis. Semper ergo dum diſcipulis e ſuggeſtu jus hoc exponebam, magnopere commendabam, ut integras deciſiones perquirerent, legerent, & perlegerent, ut rectius, & facilius verum ſenſum perciperent, quod & fecerunt doctiſſimi viri Antonius Auguſtinus *in cap.* 1. *de probationibus*. ubi ait: *Si quis legerit ipſam epiſtolam in regiſtro, rectius hæc interpretabitur, quam alii fecerunt.* Albericus Gentilis *de libris Juris C. c.* 3. *per totum*, Petrus Gregorius *in c.* 2. *n.* 3. *de conſtitutionibus.*

54 **Amplius de prædictis compilationibus.** Deinde pro uſu ipſarum collectionum ſciendum eſt, aliquas deciſiones in eis compilatas non reperiri in libris, ex quibus citantur, ut textus *in c. tranſlato*, *c. ne innitaris*, *de conſtitutionibus*, & aliæ; non tamen inde auctoritate carere, cum approbatæ reperiantur per Gregorium IX. in præſenti: aliæ etiam deciſiones in nullis Pontificum, aut Conciliorum libris repeririuntur, ut textus *in c. nullus*, *c. miramur*, *de ſervis non ordinandis*: *c. de prudentia*, *de donationibus inter*, & ſimiles, quæ etiam auctoritate non deſtituuntur propter eamdem rationem; quia cum in hoc volumine Decretalium auctoritate Gregorii IX. compilatæ reperiantur, approbatæ ab ipſo exiſtunt. Circa deciſiones vero in quinque collectionibus tranſcriptas, in ſexta autem omiſſas major hæſitatio eſt; & Gentilis *dicto c.* 4. *per totum*, & *l.* 6. *de nuptiis*, *c.* 23. contendit nullam auctoritatem habere. Sed ego contrarium exiſtimo; non enim per ſecundam compilationem derogatum fuit juri primæ, nec per tertiam ſecundæ. Ergo nec per ſextam derogatum præſumitur juri præcedentium. Deinde, nam auctoritate compilatæ in eis, aut ſunt Conciliorum canones, aut Pontificum epiſtolæ decretales, quæ per ſe, ut jacent in regiſtris Pontificum, & tomis Conciliorum, jus faciunt: Ergo etſi reperiantur compilatæ in illis collectionibus, non ideo auctoritate deſtituuntur. Tandem, nam quis dicat Codicem Theodoſianum, Ulpiani fragmenta, Pauli ſententias in Scholis interpretari non poſſe, etiamſi in Digeſtis, aut Codice Juſtinianeo non reperiantur. Similiter ergo auctoritates compilatæ in dictis quinque collectionibus admitti, interpretarique debent, quidquid Albericus Gentilis ſentiat.

55 **Proſequitur Juris noſtri hiſtoria.** Sed jam ad interruptam hiſtoriam librorum Juris noſtri redeo. Poſt ſextam ergo collectionem ſecuta eſt compilatio libri ſexti. Bonifacius enim VIII. anno 1294. ſeu ut alii volunt, anno 1300. novam collectionem facere curavit, partim epiſtolarum prædeceſſorum Pontificum, qui inter ipſum, & Gregorium IX. floruerunt, videlicet Gregorii X. Innocentii IV. & Clementis IV. & aliorum; & partim, & præcipue duorum Conciliorum generalium Lugdunenſium, primi ſub Innoc. IV. anno Domini 1245. Secundi ſub Gregorio X. anno 1273. celebrati. Et quia quinque libris Decretalium addebatur hæc collectio, ſub nomine Sexti, Bonifacius edi juſſit per Guillelmum Archiepiſcopum Ebredunenſem, Berengarium Epiſcopum Biterrenſem, & Richardum de Senis, ſive ut alii, Malambrum S. R. E. Vicecancellarium, ut conſtat ex proœmio ipſius libri, & referunt Maximus Polonus *an.* 1279. Gibalinus, & Florens *ubi ſup.* Boetius Epon. *t.* 1. *de jure ſacro*, *c.* 1. Albericus Gentilis *de libris Juris Canonici*, *c.* 1. Franciſcus Valens *ubi ſup. c.* 8. Defuncto Bonifacio VIII. ſucceſſit in Sede Pontificali Clemens V. qui Eccleſiam rexit ab anno 1305. uſque ad annum 1314. Celebravit Concilium Viennenſe generale anno 1311. & cum ejus conſtitutiones compilare curaſſet ſub nomine Clementinarum, morte præventus publicare nequivit, quare Joannes XXII. ejus ſucceſſor anno 1317. eam compilationem promulgavit, ut refert Spondanus eo anno, in continuatione Baronii, *t.* 1. *n.* 2 *eo anno.* Poſtea acceſſerunt ipſius Joannis XXII. conſtitutiones, & aliorum Pontificum, quæ communes extravagantes appellantur & aliæ ipſius tantum Joannis, quæ ſub nomine extravagantium circumferuntur, dicunturque extravagantes, quaſi extra corpus Juris exiſtentes. Gentilis, Boetius, & Valenſis *ubi ſup.* de earum auctoritate late Franciſcus Valens *ubi ſup. cap.* 6.

56 **De Conciliis Generalibus poſterioribus.** Poſt iſtas Sacrorum Canonum, & Pontificum decretalium epiſtolarum collectiones non eſt alia, licet varia Concilia generalia, tam approbata, quam reprobata; & partim approbata, & partim reprobata ab illis temporibus ad noſtra uſque in Eccleſia celebrata ſint. Ex approbatis, Florentinum celebratum temporibus Eugenii VI. anno 1438. contra errores Græcorum: Lateranenſe, quod indictum fuit a Julio II. anno 1511. contra Concilium Piſanum, & abſolutum fuit a Leone X. anno 1517. & Concilium Tridentinum inchoatum ſub Paulo III. anno ſalutis 1545. contra Lutheranos, & alios hæreticos, continuatum ſub Julio III. & abſolutum ſub Pio IV. anno 1572. temporibus Caroli V. ac Ferdinandi Imperatorum: quod percelebre Concilium a fabulis, & falſis impoſturis Petri Suavis Polani docte, & feliciter vindicavit Cardinalis Sfortia *in hiſtoria ipſius Concilii*. Ex reprobatis, Concilium Piſanum congregatum anno 1511. ab Imperatore, & Rege Galliæ, aliquotque Cardinalibus contra Julium II. reprobatum poſtea in Concilio Lateranenſi ſub Jul. *ſeſ.* 2. & 3. Ex reprobatis partim, & approbatis Concilium Piſanum indictum ab aliquibus Cardinalibus anno 1409. Concilium Conſtantienſe indictum a Joanne XXIII. anno 1414. quod quantum ad primas ſeſſiones, ubi definitur Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatur in Concilio Florentino, & Lateranenſi ultimo: quantum vero ad ultimas ſeſſiones, & ea omnia, quę probavit Martinus V. ab omnibus catholicis recipitur. Tandem Concilium Baſileenſe anno 1439. in quo nihil eſt ratum, & approbatum, niſi quædam conſtitutiones circa beneficia, quas pacis, & unitatis gratia Nicolaus Papa approbavit; Concilium vero ipſum reprobavit in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 2. ut referunt Spondanus, & Corioianus in prædictis annis.

57 **De aliis Conſtitutionibus.** Pro coronide hujus apparatus agendum eſt de conſtitutionibus extravagantibus, de regulis Cancellariæ, declarationibus Cardinalium ad Concilium factis, & deciſionibus Rotæ. Et quoad conſtitutiones Pontificias extravagantes, ſi dubitetur in judicio circa aliquam extravagantem, attendi debet, utrum ſit antiqua ante compilationem, & editionem libri 6. ſi antiquior fuerit, admittenda non eſt, ut docent Joannes Andreas, & Anania *in proœmio l.* 6. repetentes communiter *in cap. fin. de hæreticis*, *l.* 6. Si tamen aliqua conſtitutio extravagans emanavit poſt libri 6. editionem, & nihilominus dubitetur, an ſit Pontificis, vel ſuper verbis, & ejus ſubſtantiali diſputatione quæſtio emerſerit, conſulendus eſt Pontifex, juxta doctrinam textus *in cap. paſtoralis*, *de fide inſtrum*, ubi ſi reperiatur talis conſtitutio in archivo publico in forma certa, & authentica, ſervari jubetur, alias non obſervabitur: extravagantes autem cum a parte allegantur, debent ſub authentica forma plumbatæ exhiberi, ſi extra Romanam Curiam; ſi vero in eadem Curia, ſufficit quod ſub ſigno Vicecancellarii edantur, ut docent late Penna *in fine directoris Inquiſit. tr. de auctoritate Extravagantium*, Franciſcus Valens 2. *t. concordiæ*, *ſect.* 3. *fol.* 128. Secundum dubium vertitur circa regulas Cancellariæ, utrum videlicet jus contineant generale, & abſolutum? Negant continere jus univerſale Decius *in c.* 1. *de conſtitutionibus*, *nu.* 4. plures congeſti a Gomezio *in regulis Cancellariæ*, *q.* 2. Salas *de legibus tr.* 14. *diſp.* 22. *ſect.* 1. eorum fundamenta refert Franciſcus Valens *dicto t.* 1. *c.* 5. *fol.* 150. Affirmant *L.* generale obtinere Nicolaus Miliſ. *in repertorio*, *verbo Lex*, Felinus *in c.* 1. *de reſcriptis*, Jo: Andreas *in regula juris Nemo poteſt*, *de regulis l.* 6. Chaſſaneus *conſil.* 10. Alii ita diſtinguunt: pro foro exteriori obligant, pro foro vero conſcientiæ neutiquam. Ita Valens *de differentiis utriuſque fori*, *verbo Donatio*, *differentia* 6. *num.* 2. quem ſequuntur Diana *parte* 1. *tractatu* 10. *reſolatione* 43. Illuſtriſſimus Tapia *in catena morali*, 1 *part. lib.* 4. *de legibus*, *quæſtione* 8. *art.* 9. Gomezius etiam *ubi ſupra*, diſtinguit inter regulas Cancellariæ, quæ præſcribuntur tantum ipſi Cancellariæ; & inter regulas generales. Primas non continere univerſale jus affirmat; ſecundas vero pro ſanctionibus generalibus obſervandas eſſe. In hac tamen opinionum contrarietate dicendum eſt, dictas regulas Cancellariæ obſervari debere, & allegari in forenſibus diſceptationibus, ut ſæpe allegari video; quia licet non ſint prolatæ in forma legis univerſalis, cum nulla earum promulgatio præceſſiſſet; tamen ex intentione Romani Pontificis omnes ligant, ut late probat, & exponit Franciſcus Valens *ubi ſup. folio* 130. Quoad declarationes Cardinalium ſciendum eſt, Romæ eſſe plures Congregationes pro diverſitate cauſarum, quas refert Cohelius *in notitia Cardinalat. cap.* 15. inter quas eſt Congregatio ad executionem, & interpretationem Concilii Tridentini, & ejus declarationes vim legis obtinere docuerunt F. Emanuel Rodriguez *q. regul. t.* 1. *q.* 11. *art.* 2. Cherubinus *in Bullario*, *in Sixtum V. conſtit.* 74. *ſcholio* 1. Cohelius *ubi ſup. cap.* 15. *congregat.* 6. Salas *de legibus tract.* 14. *diſp.* 21. *ſect.* 12. Cocchier *de permut. benef. t.* 1. *in præfat.* Diana *par.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 20. Sed tantum doctrinales eſſe, non vero in vim legis obligare, defendunt plures congeſti a Valente *dicto* 2. *t. concord. ſect.* 4. Bruno Chaſſaing. *de privilegiis Regularium*, 2. *p. c.* 1. *prop.* 3. Sanchez *de matr. t.* 3. *l.* 8. *diſp.* 2. *n.* 10. Villalobos *t.* 1. *ſummæ*, *tr.* 2. *dub.* 7. *n.* 5. Sanchez *in ſelect. diſput.* 48. Bonacina *de legibus diſput.* 1. *q.* 1. *puncto* 8. Sed cum judicio rem hanc temperavit Illuſtriſſimus Tapia *d. l.* 4. *de legibus*, *q.* 8. *art.* 8. affirmans generaliter, & indiſtincte vim legum has declarationes non obtinere, venerandas tamen eſſe tamquam graviſſimi Senatus placita; & tunc vim legis obtinere, cum certæ conditiones concurrunt, videlicet ut comprehendatur in ipſa declaratione, fuiſſe factam ſummo Pontifice conſulto: ita cavetur in Bulla 74. Sixti V. quæ extat *t.* 2. *Bullarii magni*; & ut conſtet vere eas declarationes fuiſſe editas, & ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii Congregationis munitas. Ita præſcripſit Urbanus VIII. referente Barboſa *in ſumma*, *verbo Congregatio*, *n.* 8. deinde ut in ea declaratione non excedatur declarandi facultas, nec per eam amplietur, ſeu reſtringatur

Con-

Concilii decretum, ſed tantum interpretur. Tandem ut ſimiles declarationes publice promulgentur, cum ſit de eſſentia legis promulgatio. Latius has conditiones proſequuntur Torreblanca *in praxi*, *lib.* 14. *c.* 3. alii congeſti ab Illuſtriſſimo Tapia *ubi ſup.* nunquam ſatis laudato, P. Mendo *in Bullam*, *diſp.* 5. *c.* 6. *n.* 160. Diana *p.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 42. Hurtado *de reſidentia t.* 1. *reſol.* 3. *pag.* 206. Prado *to.* 1. *Theologia Moral. c.* 3. *q.* 7. Ferro Manriq. *de different. q.* 104. Reſtat, ut quid de deciſionibus Rotæ Doctores ſentiant, exprimamus, & communiter docetur, in Curia Romana ad inſtar ſtyli jus facere. Moneta *de commutatione c.* 5. *n.* 146. extra Curiam vero tamquam reſponſa prudentum habere, facereque communem opinionem, a qua niſi in contrarium validiſſimæ rationes faciant, non eſſe recedendum. Ita late probant Cevallos *t.* 1. *communium*, *in præfatione*, *n.* 25. Tuſchus, *littera R*, *concluſione* 368. *n.* 4. Saravia *de juriſdictione adjunctorum*, *c.* 35. §. 9. Garzia *in ſumma*, *tr.* 1. *dubit.* 4. *difficultate* 5. *fol.* 179. Prado *t.* 1. *Theol. Mor. c.* 3. *de legibus*, *q.* 7. §. 7. Hæc prælibanda duxi de origine, & progreſſu Juris Canonici; longa quidem, ſi apparatus aut præfationis modum attendas; brevia tamen, ſi quam multa, quæ pro Conciliorum notitia afferri poterant, de queis docti cenſeant: alii probent, aut improbant, nos ad commentaria ſingulorum capitum jam accingamur.

☞ Poſt Apparatum autem iſtum typis datum pervenit ad manus meas vetus Bibliotheca Pontificia nuper edita opera, & ſtudio Henrici Juſtelii, ubi extant veteres canonum collectiones, tam Eccleſiæ Orientalis, quam Occidentalis, ex quibus conſtat, in Oriente primo Joannem Scholaſticum Antiochiæ Presbyterum, Patriarcham CP. a Juſtiniano electum, collectionem canonum Orientalium in quinquaginta titulos edidiſſe. Deinde Alexium Ariſtinum Diaconum Eccleſiæ CP. (de quo Gilbertus Genebrardus *lib. de Trin.*) epitomen canonum feciſſe juſſu Imperatoris Comneni. Item Simeonem Magiſtrum Logothetam, epitomen etiam ipſorum canonum, ſed diverſo ordine edidiſſe. Deinde Arſenium Monachum, Patriarcham CP. qui floruit circa annum 1255. ſynopſim canonum ſub nomine Nomocanonis ſcripſiſſe; quas collectiones nuper dedit Henr. Juſtel *to.* 2. *Bibliotheca*. Circa Eccleſiam Occidentalem conſtat Dionyſium Exiguum ex Conciliis Latinis, & Græcis compoſuiſſe ſuam collectionem, præcipue ex Codice canonum Eccleſiæ univerſalis, edito paulo poſt Concilium CP. primum, ſub Theodoſio Magno, a Stephano Epheſino Epiſcopo. Utrumque Codicem, necnon collectiones Ferrandi, & Creſconii dedit Henric. Juſtelius *t.* 1. *dictæ Bibliothecæ*. Aliam collectionem elaboravit Ferrandus, qui floruit Juſtini, & Juſtiniani temporibus in Eccleſia Carthaginenſi, cujus fuit Diaconus, ut ex Chronico Victoris Tununenſis conſtat, & ejus meminit Facundus Hermianenſis Africæ Epiſcopus. Longe poſt Ferrandum ſuam edidit collectionem Creſconius, qui floruit per annos 527. ut in eo notavit Baronius, eo tempore, quo Joannes Patricius Victoriam de Sarrecenis in Africa reportavit, quam Cedrenus ad annum tertium Imperii Leontii refert.

Traditiones Eccleſiæ, de quibus egimus in hoc apparatu, probant, & defendunt S. Baſil. *de Spiritu ſancto*, *c.* 27. *Dogmata quæ in Eccleſia ſervantur, & prædicantur, partim ex ſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata.* Irenæus *c.* 4. *l.* 2. Cyprianus *ep.* 74. Damaſcenus *lib.* 4. *orthod. fidei*, *c.* 17. D. Auguſt. relatus *in c. in his* 7. *d.* 11. Imperatores *in l. cum recta* 5. *l. nemo*, *l. cum Salvatorem*, *C. de ſumma Trin.* Agunt de eis ultra congeſtos in præſenti, *& in c.* 1. *de conſuet.* Bordonus *t.* 1. *de matrim. tribun. c.* 7. *q.* 1. *n.* 7. Becan. *in ſum. t.* 3. *p.* 2. *tr.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Chriſt. ſupra *in ſchol. ad Synod.* 8. *Gener. t.* 2. *f.* 1272.

De auctoritate canonum Apoſtolorum agunt Jacobus Bonfred. *in præloq. ad com. Pent. c.* 5. *ſect.* 9. Ludovicus Bail. *in ſumma Conciliorum*, *t.* 1. *p.* 20. Chriſtophorus Lupus *in ſcholiis ad canon.* 2. *Syn. Trull. pag.* 867. Dominicus Gravina *cathol. præſcript. part.* 2. *controv.* 8. *art.* 1. *ad* 4. Rouſſel *l.* 1. *hiſt. Pont. juriſd. c.* 4. *n.* 6.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAPUT PRIMUM.

a Innocent. III. *In Concilio b Generali.*

Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus *c* Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem perſonæ, ſed una *d* eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Pater a nullo, Filius a Patre ſolo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque; abſque initio ſemper, ac ſine fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens; conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: unum univerſorum principium: creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, & ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu, & corpore conſtitutam. Diabolus enim, & alii dæmones a Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo vero diaboli ſuggeſtione peccavit. Hæc ſancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, & ſecundum perſonales proprietates diſcreta, primo per Moyſen, & ſanctos Prophetas: alioſque famulos ſuos, juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et tandem unigenitus Dei Filius JESUS CHRISTUS a tota Trinitate communiter incarnatus, ex MARIA ſemper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana *e* carne compoſitus, una in duabus naturis perſona, viam vitæ manifeſtius demonſtravit. Qui cum ſecundum divinitatem ſit immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt mortalis, & paſſibilis. Qui etiam pro ſalute humani generis in ligno Crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, ſurrexit a mortuis, & aſcendit in cælum: ſed deſcendit in anima, & ſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque: venturus in fine ſæculi judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis, quam electis: qui omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus, quæ nunc *f* geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum CHRISTO gloriam ſempiternam. *g* Una vero eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos eſt ſacrificium JESU CHRISTUS: cujus Corpus, & Sanguis in ſacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veracitar *h* continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina: ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum Claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus JESUS CHRISTUS. Sacramentum vero *i* Baptiſmi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, conſecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Eccleſiæ a quocumque rite collatum, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt pœnitentiam *k* reparari. Non ſolum autem virgines, & continentes, verum etiam *l* conjugati per rectam Fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

NOTÆ.

1 Innocentii III. electio. a INnocentius.) Defuncto Cæleſtino III. an no Chriſti Domini 1198. Innocentius antea Lotharius dictus, patria Anagninus, comes Signinus, Diaconus Cardinalis tituli SS. Sergii, & Bacchi, creatus fuit Pontifex prædicto anno, & Eccleſiam rexit uſque ad annum 1216. ut poſt Platinam, Blondum, Papirium Maſonium, & alios referunt Spondanus, & Odoricus Raynaldus *in continuatione Baronii*, *dicto anno* 1198. Fuit in utroque jure apprime doctus, ut ejus epiſtolæ teſtantur: varia opera edidit, quorum catalogum refert Ludovicus a Sancto Carolo *in bibliotheca Pontif. l.* 1. *litt. I.* Ejus geſta edidit Boſquetus cum regeſto epiſtolarum ipſius, ex anno 15. ſui Pontificatus: aliæ etiam epiſtolæ editæ fuerunt Coloniæ, & correctæ a Cardinale Guilelmo Sirleto, ex quibus, & aliis ſequentium annorum, factæ ſunt collectiones tertia, & quarta, ut ſupra in apparatu retuli: & epiſtolas in hoc volumine compilatas noviſſime illuſtravit Alteſerra.

b *Generali.*) Celebrato ſub ipſo Innocentio III. Anno enim 1215. Concilium œcumenicum celebratum fuit Romæ, omnium utique, quæ in Europa habita fuerant celeberrimum. Præfuit in eo Innocentius III. interfuerunt duo Patriarchæ Orientales, Conſtantinopolitanus videlicet, & Hieroſolymitanus, 400. Epiſcopi, & alii Eccleſiæ Prælati uſque ad numerum 1212. cum enim Innocentius magnopere optaret, tum Hieroſolymitanæ urbis recuperationem, tum univerſæ Eccleſiæ reformationem, generale indixit Concilium, in quo, & depravati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, Principeſque ac Populi ad ſacram hanc expeditionem adducerentur, ut referunt Abbas 2 Concilii Lateranenſis Hiſtoria.

Urſper-

Urſpergenſis, qui eo tempore floruit, per hæc verba: *Anno ab Incarnatione Verbi* 1215. *celebrata eſt ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Salvatoris, quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Novembri, præſidente Domino Innocentio Papa III. Pontificatus ejus anno* 18. *in qua fuerunt Epiſcopi* 412. *inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, Conſtantinopolit. & Hieroſolym. Antiochenus vero languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Anteradenſem Epiſcopum; Alexandrinus vero ſub Saracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germanum. Primates autem, & Metropolitani* 71. *& Priores ultra octingentos.* Matthæus Pariſ. *in eodem anno*, Spondanus, & Odoricus Raynaldus *an.* 1215. Coriolanus, & Severinus Binius *in notis ad ipſum Concilium.* Dictum fuit Lateranenſe, quia celebratum fuit in Eccleſia Lateranenſi conſtructa anno 315. in ædibus egregiis Lateranenſibus, de qua plura refert Gabriel Pennotus *l.* 3. *hiſt. Canon. reg. c.* 1. *&* 2. In hoc Concilio approbata fuit vox *Tranſubſtantiationis*, ut ex hoc textu conſtat, & refert Coriolanus *in Breviario*, *anno* 1215. etſi jam cognita eſſet, & a Patribus uſitata, ut probavimus *in c. cum Marthæ*, *de celeb. Miſſ.* In hoc Concilio reperitur præſens fidei profeſſio, & in quarta collectione, ubi Innocent. III. appoſuit titulum hunc *de Summa Trinitate*, qui in aliis collectionibus deſiderabatur; & hujus textus meminit Paulus Æmilius *in Philip. Hug.*

3 Exponitur præſens inſcriptio. Pro hujus, & ſimilium inſcriptionum explicatione ſciendum eſt, conſtitutiones a Raymundo ex Conciliis in hoc Decretalium corpore tranſcriptas, aliquando proponi ſub nomine Romani Pontificis, ut noſtra, quæ deducta eſt ex Concilio Lateranenſi tertio; & tamen Innoc. III. ut ejus auctor proponitur, & *in cap. licet* 6. *cap. ne pro defectu* 41. *de electione*, *cap. nonnulli* 27. *de reſcriptis*, *cap. Epiſcopus* 4. *cap. de multa* 28. *de præbendis*, *cap. cum ex eo*, *de pœnitentiis*, & paſſim: quandoque tranſcribuntur ſub ipſo Concilio, ex quo deductæ ſunt, ut *in cap.* 2. *de elect. cap.* 1. *de pactis*, *c.* 1. *de bigamis non ordinandis*, *cap.* 1. *de ſponſalibus*; & in aliis nulla Pontificis, cujus auctoritate congregatum fuit Concilium, mentione facta. Circa cujus diverſitatis rationem reddendam varii varia dixerunt. Abbas Panormitanus, & Felinus *in cap.* 1. *de pactis*, aſſerunt diſcriminis rationem in eo conſiſtere, ut ſi proponatur deciſio, quæ a Concilio habet originem, & progreſſum, edatur ſub nomine Concilii, tamquam ex eo dimanans: ſi vero res de qua agebatur, habuit originem a Pontifice, cum aſſenſu tamen, & ſuffragiis Concilii deciſa fuit, nomine ipſius Pontificis circumferatur. Ita componunt, & exponunt prædicta jura, & alia ſimilia. Sed ea rejecta ratione, diverſimode exponere intendit Germonius *lib.* 2. *animadv. cap.* 1. aſſerens tunc conſtitutionem Conciliarem edi ſub nomine Pontificis, licet ex Concilio dimanaverit, cum Conc. Oecumenicum generale congregatum fuerit, ut in noſtro textu, & *d. cap. Licet*, cum aliis. Tunc vero conſtitutionem Concilii nomine tranſcribi, cum Concilium eſt provinciale, ut *in d. c.* 1. *de pactis*, & aliis. Sed hæc ſententia refellitur ex eo, nam Conc. Sardicenſe generale fuit, ut aliqui tenent relati *in c.* 2. *de elect.* ſed deciſiones ex eo deductæ, ut ſunt textus *in d. cap.* 2. *& in c.* 1. *de clericis non reſidentib.* eduntur ſub nomine Concilii: ergo prima pars diſtinctionis ſuſtineri nequit. Deinde, nam Conc. Turonenſe temporibus Alexandri III. celebratum anno 1624. provinciale fuit; & tamen textus *in cap. majoribus* 8. *de præbendis*, Alexandro III. tribuitur. Igitur ex utroque latere prædicta diſtinctio claudicat. His, & aliis omiſſis, reor aliunde petendam eſſe diſcriminis rationem, videlicet aut edi conſtitutionem ex Concilio, in quo interfuit Romanus Pontifex; & tunc edi ſub nomine ipſius Pontificis, non vero Concilii: aut deciſionem tranſcribi ex Concilio, in quo Pontifex non adfuit; & tunc nomine ipſius Concilii conſtitutiones in hoc Decretalium corpore proponi. Unde cum in Conc. Lateranenſi, de quo ſermo eſt in noſtro textu, & in Concilio generali, cujus mentio fit *in d. cap. licet*, *c. ne pro defectu*, adfuiſſet Romanus Pontifex, ideo ejus nomine eduntur illius Concilii decreta: at cum in Conciliis Sardicenſi, Africano, Aurelianenſi, de quibus *in d. cap.* 1. *de pactis*, *c.* 1. *de elect. cap.* 1. *de bigamis*, non interfuiſset Romanus Pontifex, Conciliorum nomine decreta tranſcribuntur. Quæ diſcriminis ratio accurate obſervanda eſt; magna enim hujus animadverſionis utilitas ſequitur ad reſolutiones tum ſcholaſticas, tum forenſes, quas proſequitur noſter Primarius Balboa *in c.* 1. *de judiciis*, *n.* 2. Barb. *in c. dilectus* 19. *n.* 4. *de præb. & dignit.*

4 c *Deus.*) Quod, & plures Gentiles adhuc ſub tenebroſa caligine opacati cenſuerunt, & approbarunt, ut late illuſtrat Elias Æſchædius *de Diis Germanorum*, *cap.* 12.

5 d *Eſſentia.*) Quod Sabelliani, Patripaſſiani, & Priſcillianiſtæ negabant, docendo perſonas divinas non eſſentia diſtinctas eſſe, quos Hiſpaniæ noſtræ ſacri Proceres damnarunt in Conc. Toletano I. in aſſertione Fidei, per hæc verba: *Si quis dixerit, atque crediderit, Deum Patrem eumdem eſſe Filium, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Filium eumdem eſſe Patrem, vel Paracletum, anathema ſit. Si quis dixerit, vel crediderit, Paracletum eſſe, vel Patrem, vel Filium, anathema ſit.* Et in Bracarenſi I. *cap.* 2. ubi ſic ſanciunt Patres: *Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non confitetur tres perſonas unius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica, & Apoſtolica Eccleſia docet; ſed unam tantum, ac ſolitariam dicit eſſe perſonam, ita ut ipſe ſit Pater, qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Toletanum tertium ante canones: Toletanum undecimum in confeſſione Fidei: refert Antonius Auguſtinus *in Epitome Juris*, *lib.* 11. *tit.* 27.

e *Compoſitus.*) Hoc negabant Photiniani, Apollinariſtæ, & 6 alii, quorum errores damnarunt Patres in quinta Synodo Conſtantinopolitana *collect.* 8. *c.* 11. ſeptima Synodus *in epiſtola ad Conſtantinum, & Irenem*, Leo, Damaſus, Cajus, & alii relati ab Antonio Auguſtino *in Epitome Juris*, *lib.* 11. *tit.* 35.

f *Geſtant.*) Hoc totum negabant Manichæi, & Priſcillianiſtæ, 7 quorum hæreſes damnarunt Leo Papa *epiſt.* 91. *c.* 8. his verbis: *Plaſmationem humanorum corporum figmentum eſſe diaboli, error Manichæorum, & Priſcillianiſtarum: qui item hæretici carnis reſurrectionem negabant.* Patres Concilii Carthaginenſis relati *in cap. Epiſcopus* 2. 23. *diſt. Quærendum, ſi credat hujus, quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem.* Conc. Toletanum undecimum *in prologo*, per hæc verba: *Hoc exemplo Capitis noſtri confitemur vera fide reſurrectionem carnis omnium mortuorum: neque in aere, vel alia qualibet carne, ut quidam delirant, reſurrecturos nos credimus, ſed in iſta qua vivimus, conſiſtimus, & movemur.* Et alii Sancti, quorum ſacra teſtimonia collegit Antonius Auguſt. *in Epitome Juris*, *l.* 11. *tit.* 38.

g *Una vero.*) Unitatem Eccleſiæ non tantum unitate ordinis, 8 verum & unitate formæ, ex variis Sanctorum Patrum teſtimoniis probant Pet. Gregorius, & Proſper Fagnanus *in præſenti*, P. Suarez *adverſus Regem Angliæ*, *in principio*, Becanus *l.* 3. *opuſc. ult.* Coriolanus *in ſumma Concilior. prælud.* 9. Fr. Antonius Perez *in Pentateucho Fidei*, *cap.* 1. *dub.* 19.

h *Continentur.*) Corpus Chriſti vere, & realiter eſſe in Sa- 9 cramento Euchariſtiæ, negarunt Berengarius, & reliqui Sacramentarii, *cap. ego* 42. *de conſecr. diſt.* 2. quos variis auctoritatibus Sanctorum Patrum, & Conciliorum refellit Gratianus *integra diſt.* 2. *de conſecr.*

i *Baptiſmi.*) Pelagius, & Celeſtius impugnarunt Baptiſmum 10 parvulorum: ſed neceſſarium eſſe ad ſalutem, jam docuerunt, & ſtatuerunt Romani Pontifices, Clemens *epiſt* 4. *poſt medium*, Gelaſius *ep.* 1. *c.* 12. Leo Magnus *ep.* 84. *&* 91. *c.* 9. Greg. Magnus *l.* 5. *ep.* 14. *& l.* 7. *ep.* 47. *&* 53. quorum, & aliorum verba refert Ant. Auguſt. *in Epitome Juris*, *l.* 11. *tit.* 12.

k *Reparari.*) Ideo dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, 11 *c.* 72. *de pœnit. diſt.* 1. Trid. *ſeſſ.* 6. *can.* 14. *& ſeſſ.* 14. *de pœnit. can.* 2. Moguntinum ſub Paulo Tertio *can.* 10. Hier. *tom.* 1. *ep.* 8. qui de pœnitentia loquens ait: *Illa quaſi ſecunda poſt naufragium miſeris tabula ſit.* Notarunt Vivaldus *in Candelabro*, *tit. de pœnit. n.* 4. Medina *eod. tractatu*, *in principio*, Valentia *tom.* 4. *eodem tract. diſp.* 7. *q.* 1. *pun.* 4. Suarez *de pœnitentia*, *diſp.* 1. *nu.* 4. Becanus *de Sacramentis*, *cap.* 29. *de pœnit. qu.* 2. Martinon *eodem tractatu*, *in princ.*

l *Conjugati.*) Jam a vernantis Eccleſiæ temporibus fuerunt 12 hæretici, qui nuptias, & procreationem liberorum damnarunt, Nuptias, qui damnarunt. de quibus in univerſum Tertull. *in principio libri de monogamia*, inquit: *Hæretici nuptias auferunt, Pſychici ingerunt.* Eos divino Spiritu præmonente damnavit Apoſtolus *prima ad Timotheum cap.* 4. ubi poſt Sanctos Chryſoſtomum, & Ambroſium videndi ſunt recentiores. Tales autem poſt Tacianum, Ebionem, Saturninum, & alios, fuere Marcion, Apelleſque, & ejus ſectatores, de quibus Tertull. *lib.* 1. *ad uxorem*, *c.* 3. *& de præſcr. adverſus hæreſes*, *cap.* 33. hæc ait: *Paulus Timotheum inſtruens, nuptiarum quoque interdictorem ſugillat: ita inſtituunt Marcion, & Sevitor Apelles.* In eoſdem invehitur *lib.* 4. *adverſus Marcionem*, *c.* 11. *&* 34. *& l.* 5. *c.* 55. & pleniſſime *l.* 1. *c.* 29. ubi inter alia ait: *Jam vero ſementem generis humani compeſcere totum, neſcio an hoc quoque optimo Deo congruat.* De eiſdem ex D. Irenæo *lib.* 1. *contra hæreſes*, *c.* 22. *&* 30. late Euſebius *l.* 4. *hiſtoria Eccleſiaſtica*, *c.* 27. Nicephorus *l.* 4. *hiſt. cap.* 3. *&* 11. Clemens Alexandr. *lib.* 3. *ſtromatum*, quem nominatim contra Marcionem ſcribere inconſpecte negat vir alias doctus Pamelius. Verba Latine reddit ex Gentiano Herboto, quæ ſic ſe habent: *Jam vero, ſi, & ipſe Plato, & Pythagoras, ſicut etiam poſtea Marcioniſtæ, malam exiſtimaverunt eſſe generationem, longe abfuit, ut communes ipſe poneres uxores: ſed Marcioniſtæ quidem dicunt, malam eſſe naturam, ex mala materia, & a juſto factam opifice, & creatore: qua quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus eſt a Creatore, volunt abſtinere a nuptiis.* Ad hoc etiam D. Ambr. *lib. de virginibus*, ſic inquit: *Dicet aliquis, Ergo diſſuades nuptias? Ego vere ſuadeo, & eos damno, qui diſſuadere conſueverunt.* Et paulo poſt: *Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & debitam per ſucceſſionum ſeriem generis ſocietatem damnat humani.* Atque inibi tandem: *Unum ſane, licet ſacrilegi, homines habent, quod in iis etiam a ſapientiſſimis probetur, qui conjugia damnando profitentur, quod nec ipſi debuiſſent naſci.* Tales etiam fuere Manichæus, & Priſcillianus, quorum error damnatur a S. Leone *epiſt.* 91. *c.* 9. his verbis: *Priſcillianiſtæ nuptias damnant, & procreationem naſcentium perhorreſcunt; in quo ſicut pene in omnibus, cum Manichæorum profanitate concordant, quia non eſt illic libertas turpitudinis, ubi pudor matrimonii ſervatur, & ſpes ſobolis.* Patres Concilii Bracharenſis primi *can.* 11. ſic etiam talem errorem damnant: *Si quis conjugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Toletanum Conc. duodecimum *can.* 8. Damnarunt etiam in univerſum Apoſtoli *can.* 61. Patres Concilii Gangrenſis *can.* 1. 9. *&* 10. quos Gratianus tranſcripſit *in cap. ſi quis* 4. *cap. ſi quis nuptias* 12. 30. *diſt. c. quicumque* 9. 31. *diſt.* Sed hæc aliis relinquamus alias hæreſes referentibus, & refellentibus. Videndi ſunt Photius *in nomocanone*, *tit.* 13. *c.* 11. Baronius *tom.* 1. *anno* 57. *n.* 191. Bellarm. *lib. un. de matr. cap.* 1. Severinus Binius *in notis ad canon.* 50. *Apoſt.* Creſpetius *in ſumma*, *verbo Nuptiæ licitæ.* Antonius Aug. *in Epitome*, *l.* 11. *tit.* 30. *& l.* 28. *tit.* 1. Franciſcus Valens *in concordia*, *fol.* 270.